118

THESES

VNIVERSAE PHILOSOPHIAE

In Collegio Romano Soc. IESV
Publicè propugnandæ

294.7

SVB AVSPICIIS

EMINENTISS. ET REVERENDISS.

PRINCIPIS

FELICIS

S. R. E.

CARD. ROSPIGLIOSII

AB ANTONIO VINCENTIO MVTIO TIPHERNATE

Collegij SS. Ioannis, & Caroli. Alumno.

1372

R O M AE,
Typis Hæredum Corbelletti. M. DC. LXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. P. Magiſt. Sac. Pal. Apoſt.

I. de Angelis Archiep. Vrb. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Raymundus Capiſuccus Sac. Pal. Apoſt. Mag. Ord. Præd.

EMINENTISS. ET REVERENDISS.

PRINCIPI

FELICI

S. R. E.

CARD. ROSPIGLIOSIO

ANTONIVS VINCENTIVS MVTIVS FELICITATEM.

SVB vultu magni Bellatoris exiguam hanc Philoſophiam oculis Tuis addico, Tuiſque inſcribo titulis Eminentiſſime Princeps. In illius fronte non ſine horrore formoſa agnoſce beneficia tua; & in aliena imagine metire quantus ſis. Fabula inducitur magiſtra veritatis, vt quid à Te acceperit, quid ſperet à Te ſub armorum audacia repræſentet. Nata enim ſub Te adhuc priuato (ſi magna priuata vnquam eſſe poſſunt) ſub Te deinde purpura Romæ aucto creuit, & Te ad magna vocatum fata dum ſequitur Ducem, & Auſpicem ſuum, vſque eò animos tollit, vt audeat etiam arma tractare non ſua, fulmine dextram armare, & iuſto ictu ad Aram veritatis Philoſophorum olim formidatos errores iugulatos publicè exhibere. Proh quanta etiam modicas animas irritat ſubinde fiducia? vltro iam prouocat oculos Philoſophia mea, ad quos tanquam ad Angues Gorgoneos, magni quoque viri obrigeſcunt. Et dum in iſto, quo nites excelſæ frontis ſidere, rudimenta ponit publicæ lucis, ſuperbum lectorum faſtidium in tanta hac librorum ſatietate, & cenſorium ſeculi huius ſupercilium minimè reformidat. Quid enim illa timeat minora lumina, quæ tam feliciter apricatur ad ſolem? Aut quid ego non ſperem, cui Tuum ſtemma facem præfert ad omnem fortunam? Timuit olim Perſeus monſtrum illud inuiſum Meduſam, quæ ſolo pugnabat aſpectu, & quam nemo vnquam vidit impunè. Sed Pallas adfuit, & cly-

peum

peum timidis oculis admonuit. Explorauit in illo lucidas formidines ſuas Iuuenis bellicoſus, & victor antequam miles, vicit dum vidit, & ad ſpeculum didicit, quo pacto triumpharet in arena. Felix ſane bellator adeò propitiam ſortitus Mineruam, quæ vt dextram formaret ad lauros, oculos erudiuit ad pugnam. Sed quanto Pallade ipſa fabuloſa auſpicatius ades nobis litterarum omnium præſidium, & decus? ſuos illa oculis oſtendit terrores in ære, at Tu ſecuritatem exhibes nobis in ſtemmate tuo. Illa futuram pugnam explicuit, Tu præteritas doctrinæ tuæ victorias, quibus pluſquam vni Romanæ veritatis hoſti es terribilis in exemplum ſtudij felicis exponis; illa demum hoſtem, Tu integram maiorum tuorum turbam in auxilium noſtrum educis. Quot enim erumpitis ex gentilio veſtro Inſigni in occurſum mirantium oculorum inclyta nomina? Quam ingentes animæ omni maiores obliuione, quàm magnus Heroum Populus læta imagine expletis obtutus? Nunquam ſcilicet defuiſtis orbi terrarum Genus præclarum. Togam illuſtraſtis, & ſagum. Semper habuere hoſtes quod à vobis timerent, habuere ſemper amici, quod à vobis ſperarent, præbuiſtis ſemper Hiſtoriæ, quod comendaret Poſteritati. Vnus ipſe Clemens IX. Patruus tuus, quo nomine, qua fama ſidus vtrumque, & orbem Terrarum concuſſit vniuerſum? Nimis cito nobis illum ſuperi inuidere. Sed fugaciſſimum Senis Auguſti gaudium in iſto Tuo Iuuentutis flore penſamus. Grande capimus acerbi fati ſolatium, quod ſuperſtes ſis Heres virtutum, capax fortunæ. In Te viuit ille non ſemel Maximus. Tu enim magnorum Auorum ſoboles, maiores adhuc reddes Poſteros Tuos. Te narrabunt Nepotes, & vt omnia excelſæ familiæ decora numerent, Felicem deſignabunt. Cum igitur tot titulos fiduciæ ſuæ legat, per quot diſcurrit decorum tuorum nomina, cur alacris ad puluerem, & ſolem non deſcendat, iſta qualiſcumque ſit Philoſophia tanto fulta Patrocinio, tot ſtipata auſpicijs? Deſcendat ſanè, occurrat hoſtibus veritatis, & lucis, ac ad oſtentationem fiduciæ Clypeum ſuum, Tuum ſtemma iactet, quod tot ſeculis inclaruit, quod tot implicuere Lauri, quod per Cretici Maris vndas, auratis è puppibus terribile Thracibus fulſit, quod Aris, & Templis, & Templis ipſis Auguſtiori Romano inciſum ſolio orbis terrarum excepit officia: At dum illa oculis felicibus fortunam ſuam ſortitur, Tu vide quam in me liberalis fueris, qui iacentia ſtudia mea ad hanc audaciam erexiſti. Vale.

PHI-

PHILOSOPHIA RATIONALIS SEV LOGICA.

1 SCIENTIAE aquarum ſimiles ſunt: aquæ aliæ deſcendunt cælitus, aliæ manant à terra; non aliter ſcientiarum fontes, alij in alto ſiti, alij infrà poſiti: illis eorum quæ ſupra naturam ſunt notitiam debemus, his naturalium rerum intelligentiam aſſequimur. Ambo mentem fæcundant, vtriſque inſeruit Logica quam cùm Angelico Præceptore rationalem ſcientiã appellamus, quod rationem contemplatur vt dirigibilem per ſua præcepta. Rationem intelligimus ipſius mentis operationes, quibus rite efformandis Logica vacat, & licet non ſingulas cuiuſuis generis, genera tamen ſingularum dirigere contendit. Et ipſa ſcientia, & virtus eſt ſecundum ſe totam; ſibi proinde inſeruit, ſeque ipſam perficit, innixa lumini reflexo quo ſuos ſimul, & aliarum ſcientiarum actus contemplatur vt dirigat. Prattica proinde eſt abſolutè, cuius nempe finis opus eſt, & ſi nec phyſicè, nec metaphyſicè requiratur, eſt tamen moraliter neceſſaria ad poſſidendas ſcientias in ſtatu perfecto.

2 Porro dirigibile in ſe, & intrinſecè eſt quidquid operabile eſt iuxtà præſcriptũ rationis. Operabile autem eſt iuxtà præſcriptum rationis omne quod intellibigile eſt, & capax terminare cognitionẽ tendentem in ſuũ obiectum modo directiuo; hinc etiam de obiecto impoſſibili cenſemus dari cognitionem practicam: dirigi ſimiliter poteſt quæuis potentia, quæ poteſt operari attendendo ad regulam rationis, ſiue ea libera ſit, ſiue neceſſaria, imò ſi eſſet poſſibilis creatura rationalis eſſentialiter determinata ad rectè operandũ adhuc poſſet operari ex directione regulæ; dirigibilitas enim in ſuo conceptu formali dicit præciſè conformabilitatem cum regula, quæ conformabilitas neq; dicit de formali neq; infert in actu indifferentiam Logicam ad rectitudinem, & prauitatem, neque in potentia indifferentiam phyſicam ad vtramque.

3 Logicam vniuerſam diuidimus in vniuerſalem, & particularem, illa mentem dirigit vt recte intelligat abſtrahendo ab omni materia, hæc præcepta tradit recte intelligendi tùm in materia demonſtratiua, tum in topica, & ſophiſtica, illa ſcientia eſt de ipſo rectè intelligere, hæc de ſcientia ipſa, de probabilitate de apparentia, vtraque ſimul rectè definitur *habitus directiuus intellectus, in ſuis actibus; tum præſcindendo à materia, tùm in quauis determinata materia*.

4 Primam mentis operationem, quam cum philoſopho *ſimplicium intelligentiam* nuncupamus dirigit doctrina vniuerſalium, & prædicabilium. Vniuerſale eſt, quod vnum cum ſit poteſt eſſe in multis, in quibus multiplicetur; de illius quidditate eſt vnitas, & multiplicitas; proindè dari non poteſt à parte rei, nec

ſeparatum à ſingularibus, nec identificatum cum illis. Qua multiplicitatem dicit eſt in ipſis naturis rerum, quæ à parte rei ſunt, & ſingulares ſunt, quã vnitatem non à parte rei eſt, ſed in intellectu tantum repreſentante plura ad modum vnius, hoc eſt per cognitionem confuſam. Concretum igitur accidentale eſt vniuerſale, importans obiectum cognitum in recto, cognitionem in obliquo. Huius ſi formam metaphyſicam quæras reſpondemus eſſe cognitionem, & obiectum, ſi phyſicam, cognitionem tantum; proinde prima partim intra, partim extra animam eſt; altera intra animam tantum. Cognitio hæc conſtitutiuã rerum in eſſe vniuerſalium perfectionem mixtam inuoluit, qua plurium repræſentatio eſt dicit perfectionem, qua confuſa eſt mixturam imperfectionis, ex primò capite excedit meritum potentiarum particularium quæ deuinctæ ſunt circumſtantijs indiuiduantibus, ex altero repugnat menti diuinę, quæ ſpeculum eſt ſine macula, ſolus igitur intellectus creatus vniuerſalizzat formaliter, vniuerſalizzat autem, etiam cum naturam vniuerſalem prædicat de ſingulari, puta, cum dicit *Petrus eſt homo*.

5 Pręterea cognitio eadem vniuerſalizzans naturas non vniuerſalizzat illas præſcindendo obiectiuè, hoc eſt attingendo aliquid, & aliquid non attingendo realiter in obiecto eodem, quod repugnat, tum ex parte obiecti, tum ex parte cognitionis, ſed formaliter tantum, ex eo nempe quod totum obiectum, ſed non totaliter attingat, quia attingit illud ſolum in ordine ad aliquod, vel aliqua connotata illius; id quod vltimo refundendum eſt in limitationem intellectus creati, præſertim humani, qui & ſi ſit potentia omnia, nequit tamen vnica cognitione exhaurire totam cognoſcibilitatem obiecti, vnde cenſemus intellectum, prædictum præſcindere non ſolum cum res abſtractiuè cognoſcit, ſed aliquando etiam cum illas intuetur. In hac cognitionum præſcindentium natura conſiſtit illa, quam communiter vocant diſtinctionem rationis ratiocinatæ, ſiue cum fundamento in re, quæ nimirum tum à fęcunditate obiecti, tum à limitatione intellectus originem ducit; ſed non propterea omnis diſtinctio rationis eſt præciſiua, ſiquidem etiam per ordinem ad connotata eadem clarius, & clarius cognoſci poteſt idem obiectum, quod ſi ità contingat fieri, habebis diſtinctionem rationis ſine præciſione.

6 Dixi repugnare ex parte obiecti cognitionem obiectiuè præſcindentem; qui nullam agnoſco in rebus creatis diſtinctionem mediam inter realem, & rationis, ſiue ea formalis ex natura rei, ſiue virtualis intrinſeca, ſiue alio quouis nomine nuncupetur. Quod ſi ea daretur in diuinis, quod non decerno, adhuc ex illa nullum eſſet argumentum ad eandem adſtruendam in creatis. Exiſtimo autem diſtinctionem realem formaliter, & conſtitutiuè eſſe illam formam, per quam *vnaquæq; res non eſt id, quoad re vera non eſt* ſicut realis idẽtitas eſt illa forma, per quam *res eſt id, quod re vera eſt*. Vtraq; conſiſtit adæquatè in poſitiuo ſiquidem ſubiectum, de quo dicitur ſupponatur pro aliquo, & quamuis diſtinctio rationis vt dixi ſuſcipiat magis, & minus intrà ſuam lineam, diſtinctio realis in ratione formali diſtinguendi conſiſtit in indiuiſibili, itaût neceſſe ſit omnem diſtinctionem realem etiam inadæquatam reſolui in diſtinctionem adæquatam non aliter, ac neceſſe eſt omnem diſtinctionem rationis reſolui in aliquam diſtinctionem realem, quod ſi ex partę obiecti repugnat, repugnat etiam ex parte intelle-

ctus

ctus cognitio obiectiuè præſcindens, quippe qui findere non poteſt vi ſua quod impartibile eſt, niſi fingat, præſcindere autem non eſt fingere iuxtà commune proloquium *præſcindentium non eſt mendacium*.

7 Vniuerſale ſic conſtitutum diuidit Porphirius in quinque prędicabilia, quæ ſunt genus, differentia, ſpecies, proprium, & accidens, quam vt conuenientem, & ſi non vt immediatam admittimus. Deſumitur ex multiplici, eoque diuerſo modo abſtrahendi cognitionum vniuerſalizzantium. Quaſcumque igitur rationes abſtrahat intellectus à naturis ſingularibus, illæ vel eſſentiales ſunt, & prædicabiles de ijſdem prædicatione quidditatiua, vel accidentales, & prædicabiles tantum prædicatione accidentali. Si primum exurgunt tria prædicabilia Genus, Differentia Species. Genus definitur *prædicabile de pluribus in quod quid* hoc eſt eſſentialiter ad modum partis determinabilis, diuiditur in ſupremum, medium, & infimum, & ipſius generis genus eſt. Differentia *prædicabile de pluribus in quale quid* hoc eſt eſſentialiter ad modum partis determinantis, ſiue vltimi conſtitutiui ſpeciei; non conſiſtit hæc ſecundum ſubiectum denominatum in prædicato ſimplici, aut in negatione pura, nec habetur per prædicatum nobiliſſimum rei, aut per differentiam plurium intra idem genus, notabilem iudicio prudentum. qui verò eam à forma deſumunt ſicut numericam à materia non diſtinguunt inter differentiam, & diſtinctionem, nec ſatis formam à materia ſecernunt.

8 Putant hi omnem differentiam ſpecificam eſſe formalem, numericam, purè, materialem tantum, hinc in ſingulis indiuiduis cuiuſuis ſpeciei ponunt notam quamdam, quam caractheriſicam vocant, & intelligunt ordinem ad tales determinatè circumſtantias loci, temporis &c. in quibus dicunt vnum quodque vt ſaltem modo ſummè connaturali producatur debere produci, nec aliter fieri debuiſſe contendunt, ne alias ſit male conſtituta natura. at ſi cui ridenda videatur hæc ipſa conſtitutio naturæ, ad quem rogo appellabunt, niſi ad ingenium ſuum, cuius præſtantiæ vnicæ debent, huiuſmodi conſtitutionem; mihi quidem immaginaria eſt prædicta chohordinatio, qui exiſtimo vnamquamq; rem intrinſecè, & ſecundum ſe indiuiduari per ſuam met entitatem, & licet ſenſibilia indiuiduentur extrinſecè, & quoad nos per determinatam collectionem accidentium talem cui omninò ſimilis naturaliter contingere nequeat alteri indiuiduo, cenſeo tamen optimè prouiſum eſſe à natura diſcretioni indiuiduorum intra eandem ſpeciem, ſi quoduis indeterminatè exigat determinatam aliquam, & diſſimilem cuilibet alteri collectionem accidentium, qua veſtiatur, proinde conſtituo differentiam ſpecificam in qualibet diſſimilitudine entitatiua intra idem genus, quam nego conuertibilem eſſe cum inæqualitate perfectionis entitatiuæ.

9 Species verò alia ſubijcibilis dicitur alia prædicabilis, illa eſt, quæ *ſubijcitur generi*, hæc diuiditur in ſubalternam, & infimam, Infima definitur *prædicabile de pluribus ſolo numero diſtinctis in eo quod quid eſt*, hoc eſt vt tota eſſentia, quod ſi eſſet poſſibilis ſpecies infima eſſentialiter immultiplicabilis, ea non poſſet vniuerſalizari vniuerſalizatione conſtituente prædicabile de quo agimus; cenſemus tamen non poſſe dari in ſubſtantijs creatis talem ſpeciem, qui ex eo capite, ex quo probat Philoſophus primum motorem immobilem eſſe vnum ſpecie, & numero deducimus omnem ſubſtantiam creatam eſſe multiplicabilem etiam intra eandem ſpeciem infimam.

10 Quod ſi ratio obiectiua per intellectum abſtracta prædicabilis ſit de ſubiecto ſuo ſolum prædicatione accidentali, iterum vel prædicabilis eſt prædicatione accidentali logicè, vel etiam phyſicè. Si primum habetur quartum prædicabile, quod proprium dicitur, & definitur *prædicabile de pluribus accidentaliter neceſſariò*, ſiue accidentaliter conuertibiliter, ſi alterum habetur vltimum prædicabile, nempe accidens, *quod de pluribus prædicabile eſt accidentaliter, non conuertibiliter*, ſiue accidentaliter contingenter. Ex his omnibus procedimus ad tradendas regulas vniuerſales prædicationum tum eſſentialium, tum accidentalium, tum in abſtracto, tum in concreto, à quibus ſuperſedemus nunc, quod opus ſit dialecticæ minoris.

11 Vt viam ſterneret Ariſtoteles ad dirigendam alteram mentis operationem, quæ in compoſitione, & diuiſione ſita eſt librum ſcripſit prædicamentorum, in quo res omnes in ſuas claſſes digeſſit, quas cathegorias appellauit; initio autem poſuit rationes proprias vniuocorum æquiuocorum, & aliorum huiuſmodi, quas ſummuliſtæ per otium euoluunt. Nos doctrinæ veterum ſummuliſtarum inhærentes diſcernimus inter differentias extrahibiles, ſiue extrahentes, & non extrahibiles, ſiue imbibentes, primæ præſcindunt à rationibus quibus ſubſunt, ſecus ſecundæ; inter primas recenſemus differentias entis realis, quod putamus in ſuo conceptu formali perfectè præſcindere à ſuis differentijs, & hoc verum putamus, & ſi hæ mutuo non præſcinderent ab illo vt ipſi docemus.

12 Voces ſunt in genere ſigni. Naturaliter conceptus vocum, ad placitum conceptus rerum, & res ipſas ſignificant, hinc ſunt principium ex quo deducimus illatione moraliter infallibili exiſtere in mente loquentis conceptus ſaltem apprehenſiuos ipſarum, & rerum quas exprimunt; conformitatem actus iudicatiui cum re ſignificata non inferunt ſufficienter ſecluſa notitia de veracitate loquentis, non prius ordine intentionis ſignificant res, quam rerum conceptus, & ſi eaſdem prius ſignificent ordine executionis, & cauſalitatis. Primus inſtitutor humani ſermonis Deus fuit, qui vt hominibus loquelam indidit, ita eos inter ſe colloqui docuit, docuit autem eos linguam hæbraicam, quæ propterea non ex humana, ſed ex diuina inſtitutione ſignificat, vt cœteræ linguæ, quas primarias dicunt, ſecundariæ ſignificant ex inſtitutione humana. Obiectum voluntatis huiuſmodi linguarum ſignificationem inſtituentis ſunt ſpecies complexæ certarum vocum, & certarum rerum, in quibus ipſa linguarum ſignificatio conſiſtit formaliter, obiectum autem voluntatis obligantis homines ad non proferendas ſerio voces, niſi cum habent actus iudicatiuos conformes ſignificationi earundem eſt alia volitio, quæ eſt forma indiuiſibiliter denominans locutionem externam moraliter connexam cùm iudicio conformi ſignificationi illius, & homines moraliter deuinctos in vſu ſermonis connexionis prædictæ.

13 Enunciatio inquit Philoſophus primò, *de interpret. cap. 4. eſt oratio perfecta determinatè ſignificans rem eſſe, aut non eſſe*, determinatè ait, ſiue enim ſignificet rem eſſe, quod eſt eſſe affirmatiuam, ſiue ſignificet rem non eſſe, quod eſt eſſe negatiuam debet dicere quod eſt propriè determinatè ſignificare, addit ibidem eſſe *orationem perfectam, in qua verum, vel falſum eſt*, quibus eſſentiam enunciationis exponit iterum per accidentia propria, vt ſunt veritas, &

fal-

falſitas, quarum alteram neceſſe eſt diſiunctiuè propriè cuilibet enunciationi conuenire. Eſt autem veritas formalis de qua hic loquimur *conformitas actus iudicatiui cum ſuo obiecto* proinde denominatio eſt ſemi extrinſeca actui vero, ſiue is eſſentialiter, & neceſſario, ſiue contingenter verus ſit, & perfectio illius eſt non obiecti, iuxtà Angelicum, perfectio inquam preſuppoſitiuè ſeù arguitiuè inquantum infert intellectum, cuius eſt actus verus melius diſpoſitum cœteris paribus, quam ſit is, cuius eſt actus falſus. Conſiſtit itaque formalis veritas in adæquatione actus iudicatiui cum obiecto non quacunque, ſed ſecundum rationem iudicatam, formalis falſitas in receſſu ab adæquatione prædicta; illa proinde non ſuſcipit magis, & minus, iſta ſuſcipit; poteſt cognitio ſemel vera, ſi vel per duo inſtantia perſiſtere poteſt mutari in falſam, & è conuerſo non tamen omnis, nimirum tùm quæ procedunt ex principijs, quibus repugnat concurrere ad actus falſos, tùm quæ ſunt in materia neceſſaria, aut impoſſibili, tùm quæ ſunt in materia contingenti, & intuitiuæ ſunt prædictæ mutationi non ſubiacent; ſolæ igitur eidem obnoxiæ ſunt cognitiones abſtractiuæ in materia contingenti, pro quibus hanc regulam ſtatuimus: affirmatiua de præterito non poteſt de vera mutari in falſam de falſa poteſt mutari in veram, è contra negatiua de vera poteſt mutari in falſam, de falſa non poteſt mutari in veram, affirmatiua da futuro de vera poteſt mutari in falſam, de falſa non poteſt mutari in veram, e contra negatiua de vera non poteſt mutari in falſam, de falſa poteſt mutari in veram; tùm affirmatiua, tùm negatiua de præſenti poteſt de vera mutari in falſam, & de falſa in veram.

14 Damus libenter Philoſopho quod ipſe docet hic *lib. 1. de interpret. cap. vltimò* ex proportionibus contradictorijs de futuro contingenti alteram eſſe neceſſariò veram, alteram neceſſariò falſam, ſumpto illo ſincategoremate *alteram* in ſenſu diſiunctiuo purè confuſo, & indeterminato, quòd aliud non eſt quam quod non poſſit vtraque ſimul eſſe falſa, nec vtraque ſimul eſſe vera, & per ſe euidens eſt, negamus quod ſubdit neutram eſſe determinatè veram, neutram determinatè falſam. Et quidem ſiue propoſitiones contradictoriæ ſint de futuro contingenti abſoluto, ſiuè de conditionato cenſemus dicendum alteram eſſe nunc determinatè veram, alteram determinatè falſam, & ſi contingenter, nec propterea aſſerimus aut phyſicè dari nunc veritatem, & falſitatem prædictam, aut cognoſcibilem eſſe ab intellectu creato independenter à reuelatione diuina, & ſi concedamus neque à diuina reuelatione, neque à diuino decreto tanquam à determinatiuo formali, ſed ab obiecto ſuo, quod non eſt, ſed erit, alteram eſſe determinatè veram, alteram determinatè falſam; id, quod nullatenus putamus officere contingentiæ, & libertati euentuum futurorum; credidit hoc profecto Philoſophus, à quo tamen magis recedunt, qui determinatam veritatem huiuſmodi propoſitionum deſumunt à diuino decreto determinato, & determinante, quam nos qui eam deſumimus ab obiecto illarum, non vt eſt actu in ſe, ſed vt erit determinatè in ſuo tempore.

15 Artem ſyllogizandi præſcindendo ab omni materia tradit Philoſophus in libris priorum reſolutoriorum. *Eſt autem ſyllogiſmus oratio perfecta, in qua quibuſdam poſitis alterum quid à poſitis neceſſe eſt contingere eo quod hæc ſint.* Cenſetur ſyllogiſmus concludens ratione formæ, qui concludit in omni materia

ria

ria, concludit autem in omni materia, quando ſeruata eadem diſpoſitione terminorum rectè infers, ſiue illatum re ipſa verum ſit, ſiue probabile ſolum, ſiue ap parens. Syllogiſmus rectus tres tantum termnos includit, ex quorum varia diſpoſitione ſecundum ſubiectionem, & prædicationem exurgunt diuerſæ figurę, ex quibus tres tantum vtiles ſunt, in ſingulis verò figuris ſunt plures modi partim vtiles partim inutiles iuxtà debitã, vel indebitam ordinationem præmiſſarum ſecundum qualitatem, & quantitam. Præmiſſæ ſunt veræ cauſæ concluſionis, adcuius aſſenſum intellectum neceſſitant tùm quoad ſpecificationem, tùm quoad exercitium, dummodò ex parte eiuſdem adſint cætera requiſita. Actus concluſionis reflectit ſupra præmiſſas obiectiuas, non tamen neceſſariò ſupra formales, nec ad euidentiam ſyllogiſmi neceſſaria eſt cognitio ſignata, & in vniuerſali de bonitate illationis, fundatur autem tota ars ſyllogiſtica in duobus dictis, quorum alterum eſt *dictum de omni*, alterum *dictum de nullo*.

16 A Logica vniuerſali procedimus cùm Philoſopho ad Logicam particularem, quę regulas tradit rectè ſyllogizandi in materia demonſtratiua, topica, & ſophiſtica. Demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, alia eſt à priori, alia à poſteriori, illa procedit ex veris primis immediatis notioribus, & cauſis concluſionis, hæc ſolum diſcrepat ab illa, quod non procedit ex cauſis. Medium demonſtrationis potiſſimæ eſt definitio ſubiecti, datur, & eſt vtilis regreſſus demonſtratiuus. Cætera quę ad Logicam, tùm demonſtratiuam, tùm topicam, & ſophiſticam pertinent dialecticis permittimus, id vnum aſſerimus etiam de rebus phyſicis dari ſcientiam, quæ non eſt pura remiuiſcentia, ſed habitus inclinans ad cognitiones certas, & euidentes obiecti ex principijs intrinſecis, vt in animaſticis exponimus,

PHILOSOPHIA REALIS.

17 Rerum aliæ materiales ſunt, alię immateriales: omnium inueſtigationi nati, omnes euoluimus, non tamen permixtè vt apparebit. Euoluimus autem illas ductu naturalis luminis, cuius ſunt hæc principia totius humani diſcurſus prima *quodlibet eſt, vel non eſt, impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe, & neque eſſe, neque non eſſe*, porro licet ſit vna, & eadem veritas obiectiua, quæ per vtrumque exprimitur diuerſimodè ab ijſdem exprimitur, alterum enim neceſſitatẽ exprimit, vt ex duobus cuiuſuis contradictionis extremis vnum determinatè ſit, aliud determinatè non ſit, alterum aſſerit impoſſibilitatem tum coexiſtentiæ vtriuſque contradictorij tùm carentiæ vtriuſque, proindè vtrumque excludit medium à contradictorijs ſiuè per participationem, ſiuè per negationem vtriuſque extremi contradictionis, ſunt vera ratione ſui, ſeù præſcindendu ab omni materia, & demoſtrabilia non oſtenſiuè, ſed redargutiuè tantum.

DE ENTE IMMATERIALI PRAECISIVE.

18 Vox iſta *ens* poteſt ita ampliari, vt æquipolleat huic *intelligibile*. Eſt igitur intelligibile aliud poſſibile, impoſſibile aliud, illud eſt quod poteſt exiſtere phyſicè, hoc quod non poteſt. Ly poteſt, & non poteſt ſignificanti-

cantibus potentiam, & impotentiam logicam hoc eſt non repugnantiam, & repugnantiam exiſtendi in rerum natura identificatas re ipſa cùm actu, & negatione actus exiſtendi. Hinc negatio prædicta non eſt negatio pura, quæ nempe actum ſimul, & potentiam exiſtendi negat in eo, quod afficit, ſed grãmaticaliſ tantum, ſiue melius conceptus logicè negatiuus re ipſa poſitiuus, exprimens id cui ex eo quod ſit, id quod eſt repugnat eſſe ſimpliciter, adeoque per id ipſum formaliter, per quod eſt id quod eſt, non eſt. Vtrique intrinſeca eſt ſua poſſibilitas, & impoſſibilitas, poſſibilitas inquam, & impoſſibilitas formalis, & paſſiua ſe tenens ex parte eius, quod poſſibile, & quod impoſſibile denominatur, altera eſt formaliter ipſa conſonantia prædicatorum, quibus poſſibile conſtituitur, & explicatur per iſtam conditionalem neceſſariam *ſi poſſibile poneretur non exiſteret contradictio*, altera eſt ipſa diſſonantia prædicatorum, ex quibus impoſſibile coaleſcit, & explicatur per hanc aliam pariter neceſſariam, *Si impoſſibile poneretur exiſteret contradictio*, vtrumque propterea ſeorſim ab alio cognoſcibile eſt, & profecto tàm qui affirmant, quàm qui negant cognoſci, vtrumque norunt, licet non omnes quod cognoſcunt noſſe ſe norint, quod ijs contingit, qui ſignatè negant, quod exercitè concedunt; vt autem vtrumque ſeorſim ab alio ſit cognoſcibile non eſt neceſſarium, vt nihil incluſum in vno inuoluatur in altero, ſed ſufficit ſi quoduis de alio verè, & ex parte obiecti negabile ſit, nimirum vt alterum ſit impoſſibile, ſufficit quod aliquod illius conſtitutiuum impoſſibile ſit, & ſi ad poſſibilitatem alterius requiratur vt ſingula conſtitutiua illius poſſibilia ſint, hoc certè neceſſarium eſt vt conſtitutio ipſa impoſſibilis non ſit prædicatum ſimplex, cum repugnantia omnis ſit inter duo.

19 Porro poſſibilitas, & impoſſibilitas prædictæ ſe ipſis formaliter verificant propoſitiones, quas Logici dicunt neceſſarias, nec tamen ipſæ (loquor de poſſibilitate rei creatæ) neceſſariæ ſunt in exiſtendo, aut identificatę cum ente ſimpliciter neceſſario, & ſi neceſſariæ ſint neceſſitate purè conditionata, ſiue illationis, quæ ſola requiritur, & ſufficit ad veritatem prædictarum propoſitionum, quæ faciunt ſenſum pure conditionalem, & illatiuum. Verum quidem eſt, quod aliquando obiectum affirmatum per huiuſmodi propoſitiones non ſecundum quid, aut ex ſuppoſitione tantum neceſſarium eſt, ſed ſimpliciter quod non exigentiæ propoſitionis, qua affirmatur, ſed hypoteſi debetur, ex qua infertur quæ ſimpliciter eſt neceſſaria; Regula enim vniuerſalis eſt, quoties hypotheſis eſt ſimpliciter contingens itaùt ab exiſtentia illius ſit neceſſaria conſequentia ad exiſtentiam conditionati, & à negatione eiuſdem ad negationem conditionati, toties conditionatum ſecundum quid tantum, ſiue ex ſuppoſitione ſolum neceſſarium eſt, cum hypoteſis eſt ſimpliciter neceſſaria, & ipſum quod ſub hypoteſi affirmatur ſimpliciter neceſſarium eſt, & non ex hypotheſi tantum, cum hypoteſis eſt ſimpliciter contingens, ſed non valet conſequentia à negatione illius ad negationem conditionati, ſicut ab exiſtentia illius ad exiſtentiam conditionati tunc etiam conditionatum ſimpliciter eſt neceſſarium, cum denique hypoteſis eſt ſimpliciter impoſſibilis, conditionatum eſt ſimpliciter impoſſibile, & neceſſarium ſecundum quid ſiue ex ſuppoſitione tantum, itaque tam poſſibilitas poſſibilis prædicti, quã impoſſibilitas impoſſibilis neceſſariæ ſunt ex ſuppoſitione differunt verò quod altera eſt ſimpliciter contingens, altera eſt ſimpliciter impoſſibilis.

20 Pro-

20 Propterea mihi perinde eſt euidens nullam rem poſſibilem antequam actu exiſtat habere, aut habuiſſe vllum eſſe reale actuale in ſe, ſiue illud quidditatiuum dicas, ſiue eſſentiale, ac eſt euidens nihil exiſtere antequam exiſtat, & nullum contingens exiſtere ab æterno: Nec propterea nego creaturas poſſibiles fuiſſe ab æterno poſſibiles per formam phyſicè exiſtentem ab æterno, qui cum Angelico Præceptore diſtinguo inter poſſibilitatem abſolutam, & relatiuam creaturæ, & illam contendendo nec fuiſſe nec potuiſſe eſſe ab æterno, hanc concedo non potuiſſe non eſſe ab æterno, vtpote quæ eſt idem formaliter cum omnipotentia Dei, quæ extrinſecè denominat poſſibile quidquid eius actiuitati ſubiectum eſt, hoc eſt vt ipſe Angelicus loquitur *quidquid non deficit à ratione poſſibilis*; qui verò vel omnipotentiam, vel aliam Dei neceſſariam perfectionem contendunt eſſe ipſam formalem non repugnantiam poſſibilium, & repugnantiam impoſſibilium inter determinatiuum formale, & cauſale, non ſatis diſtinguunt, cuilibet rei creatæ duas eſſentias attribuunt, & ipſum ens increatum ſimpliciter neceſſarium identificant cum ente ſimpliciter impoſſibili. Sed cur iſta? nimirum ne contingentiam neceſſitati miſceant, ne quid præter Deum neceſſarium adſtruant; Sed quid tam contingens inquit D. Thomas, quam ſocratem moueri, & tamen ex ſuppoſitione quod currat neceſſarium eſt moueri, non ergo inre conciliabiles ſunt eſſentialis neceſſitas, & eſſentialis contingentia, rurſus àn non etiam ipſis perſuaſum eſt omnem cognitionem neceſſariò veram, & neceſſariò terminatam ad obiectum aliquod affirmandum terminari ad obiectiuam veritatem neceſſariam, àn non diuina ſcientia, quam Theologi appellant ſimplicis intelligentiæ, qua talis, nempè in quantum affirmat eſſentias rerum de rebus ipſis eſt neceſſaria? neceſſe igitur erit in quantum eſt earum cognitio, ſiue eas in ſe ipſis attingat, ſiue in medio diſtincto, quod ſit aliqua Dei perfectio neceſſaria, terminari ad obiectiuam veritatem extra Deum neceſſariam, ſiquidem euidens eſt non poſſe eſſe medium cognoſcendi neceſſario aliud, niſi quod cum illo counnectitur, & nullum neceſſarium connecti poſſe cum contingenti pure. Concedenda prpinde eſt eſſentijs rerum aliqua neceſſitas à ſe in genere cauſæ formalis, dixi aliqua, nõ enim illis adſcribo neceſſitatem ſimpliciter, ſiue abſolutè, ſed eam tantum, qua vt ex Philoſopho loquitur doctor Angelicus currentem neceſſe eſt moueri dum currit, & ſedentem neceſſe eſt non moueri dum ſedet, quę eſt neceſſitas ſolius ſenſus compoſiti ſiue illationis puræ importata per propoſitionem reddentem ſenſum purè conditionalem, quem nec cuiuis propoſitioni adlibitum tribuo, ſed ijs tantum, quæ quidditatiuæ ſunt, & vniuerſaliter omnibus, & ſolis, ex quarum ſubiecto ad prædicatum eſt neceſſaria conſequentia, in quo ſolum ſenſu eſſentiæ rerum neceſſariæ dicuntur hoc eſt reſpectu ſui, quæ nempè à ſe ipſis ſeparari non poſſunt, igitur eſſentiæ rerum antequam exiſtant, & nihil ſunt, & aliquid, nihil ſunt, quia non ſunt, aliquid ſunt, quia ſi eſſent, eſſent tantum.

21 Tres paſſiones entis poſſibilis recenſentur cõmuniter vnum, verũ bonum, ſunt prædicata tranſcendentia, & propterea realiter conuertibilia cum illo, veritas eſt conuertibilis etiam formaliter cum ente cuius connotatum proprium idem eſt cum connotato illius. Vnitas igitur tranſcendentalis, eſt indiuiſio à ſe veritas conſiſtit in eo, quod res ſit, quæ realiter eſt, bonum denique eſt boni-

tate,

tate hac quoduis habens quidquid eſt de conſtitutione eſſentiali ſuę naturæ hinc impoſſibiles ſunt, tam pluralitas, quàm falſitas,& malitia oppoſitæ vnitati, veritati, & bonitati tranſcendentali.

22 Sicut duplex eſt eſſe, ita duplex eſt ſtatus rerum,realis, & intentionalis. Reſpondet hic eſſe quod res habent formaliter à cognitione, reſpondet ille eſſe, quod res habent, & in ſe ipſis cum ſunt, & in ſuis cauſis,quando ſunt,& quando non ſunt;primum ſtatum conſiderat metaphyſica,& primò illum quem dicunt quidditatiuum; importat hic pręcisè, & purè ex parte rei ſignificatæ ipſam rei eſſentiam, ſiue id per quod res eſſet, ſi eſſet præſcindendo tum ab actuali exiſtentia, tùm à negatione eiuſdem, licet nil cogitabile ſit,quod ab vtraq;ſimul ſeparari poſſit à parte rei,propterea nequeũt res hunc ſtatũ hebere à parte rei,ſed in intellectu tantum,licet à parte rei habeant id, per quod in iſto ſtatu conſtituuntur ab intellectu;quin nec quoduis quod conceptibile eſt dummodo conceptu proprio concipiatur concipi poteſt in iſto ſtatu, nimirum nec ens ſimpliciter neceſſarium vtpotè quod eſt quidditatiua determinatio exiſtendi concipi poteſt conceptu proprio præſcindente ab actu ali exiſtentia, nec ſimiliter præſcindi poteſt à negatione actualis exiſtentiæ in ſuo conceptu proprio ens impoſſibile quod eſt, quidditatiua determinatio non exiſtendi, ſolum proinde ens contingens, quod eſt quidditatiua indifferentia ad vtramque poteſt etiam in conceptu proprio ab vtraque præſcindi, vnde de illo merito dixit D. Thomas, cum conſideraturtur vt eſt in actu non conſiderari vt contingens.

23 Porro contingentium alia ita poſſunt exiſtere, vt etiam aliquando exiſtant, alia vt nunquam, & hæc ſunt, quæ dicuntur eſſe in ſtatu puræ poſſibilitatis. Hunc ſtatum ſi ex parte cauſæ eorum, quæ in illo ſunt conſideres, intelliges nihil eſſe præter virtutem effectiuam eorumdem cum excluſione determinationis formalis, vt illa aliquando producat, proindè, & actu eſt,& ab æterno fuit ſecundum totum quod dicit de poſitiuo, & in recto, àn ſit etiam ſecundum id, quod dicit de negatiuo, & in obliquo non decerno, ſi verò illum conſideres ex parte ipſorum purè poſſibilium, inuenies nihil eſſe præter ipſa quæ non ſunt, eſt igitur ipſa, vt non ſunt in vlla duratione poſſibili ly *vt* reduplicante ſupra negationem puram, qualis in noſtris, & veris principijs eſt omnis negatio rei contingentis, quæ nihil omninò eſt præter ipſam propoſitionem ex ſuo modo tendendi remouentem à rerum natura id quod in rerum natura non eſt, & poteſt eſſe, quæ merito appellatur negatio pura ſiue contingens, quia ſubiecto contingens eſt, ſiue vt melius dicam non remouet à ſubiecto prædicatum ſubiecto repugnans ſed ſubiectum remouet à rerum natura cui ſicut exiſtere eſt contingens, ità contingens eſt non exiſtere, adeoque ſtatus hic, in quo prout eſt nunquam eſt.

24 Eorum autem quæ exiſtunt alia de præſenti exiſtunt, & in quantum ita exiſtunt dicuntur eſſe in ſtatu exiſtentiali, ſiue præſentiæ, qui habetur formaliter per exiſtentiam rei in duratione præſenti; & ſi contingens ſit rebus creatis,contingens tamen eſt in tranſitiuè tantum,nimirum neque in his eſſentia diſtinguitur realiter ab exiſtentia,alię de præſenti nõ ſunt ſed fuerunt,aliæ neque ſunt neq; fuerunt,ſed erunt, aliæ denique neque ſunt, neque fuerunt, ne-

que erunt, eſſent tamen ſi aliqua conditio poneretur, primæ dicuntur eſſe in ſtatu præteritionis, ſecundæ in ſtatu futuritionis abſolutæ, vltimæ in ſtatu futuritionis purè conditionatæ. Triplex hic rerum ſtatus iuxtà doctrinam Philoſophi, & D. Thomæ poteſt conſiderari tùm ex parte ipſarum, tùm ex parte cauſæ, in prima conſideratione dicitur ſtatus præteritionis, futuritionis abſolutæ, & conditionatæ rerum in ſe, in altera dicitur ſtatus præteritionis futuritionis abſolutæ, & conditionatæ earundem in cauſa.

25 Præteritio, & futuritio abſoluta rei in ſe, ſiue formalis non habetur formaliter per formam actu, & de prȩſenti exiſtentem, ſed per hoc formaliter, quod res non ſit in duratione præſenti, ſit autem in duratione antecedenti, vel ſubſequenti hanc, quæ ſupponitur præſens prout res præterita eſt, vel futura abſolute; vtraque proinde ex parte rei ſignificatæ importat duo inſtantia temporis, aliud præſens, aliud anterius, vel poſterius præſenti, in altero res non eſt in altero eſt, alrerum ſignificatur vt præſens loquenti, alterum vt præſens rei, de qua loquitur, in altero exiſtens qui loquitur affirmat rem fore vel fuiſſe pro altero affirmat rem eſſe, & ideo exiſtens in illo rectè dicit fore, vel fuiſſe, vtraque ergo importat in ſua conſtitutione duo contradictoria *eſſe* nempe, *& non eſſe* rei *non eſſe* pro inſtanti præſenti *eſſe* prò inſtanti priori, vel poſteriori.

26 At verò præteritio, & futuritio rerum in cauſa prima ſiue cauſalis, eſt præſens, adeoque æterna determinatio cauſæ primæ, illa vt rem poſuerit in inſtanti priori, hæc vt rem ponat in inſtanti poſteriori ad iſtud, quod ſupponitur præſens, propterea vtraque actu, & de præſenti eſt, imo ab æterno fuiſſe ſequitur euidenter ex eo, quod aliquando ſit; àn verò quæcumque futura ſunt abſolutè, quæcunque fuerunt, futura ſint, & fuerint futuritione, cauſali prædicta, importante determinationem antecedentem cauſæ primæ eſſentialiter connexam cum ijſdem & eadem inferente à priori decernere noſtrum non eſt. Duo ſunt quæ pro certis habemus alterum omnia futura ideo eſſe futura futuritione cauſali, quia in cauſa prima ab æterno fuit vt fierent, vel per voluntatem prædefinitiuam, & intentiuam, vel per permiſſiuam purè, vt enim ait D. Thomas *1. part. qu. 16. art. 7. ad 3. omne quod eſt ex eo futurum fuit antequam eſſet, quia in cauſa ſua erat vt fieret*; alterum nullum malum culpæ futurum, eſſe futurum futuritione cauſali prædicta vt expreſsè docet idem D. Thomas *de verit. qu 6. ar. 1 ad* 10. & in ſolutione ad vltimum. Voluntas tamen permiſſiua non præciſe ratione ſui, ſed in quantum permittens eſt hoc eſt includens præſcientiam conditionatam rei permiſſæ eandem infert à priori determinatè futuram potius quam non futuram, ſed iſta Theologis permittimus.

27 Denique futuritio purè conditionata rei in ſe ſiue formalis præſcindit tum ab actuali exiſtentia, tùm à negatione actualis exiſtentiæ eiuſdem, importat autem purè, & præciſè illud eſſe, per quod res eſſet in ſe formaliter potius quam non eſſet, ſi poneretur conditio, ſiue quæ eſſet, eſſet ſub conditione inferente, ſiue non, & quamuis quæ ſunt futura conditionatè in ſe poſſint eſſe etiam futura conditionatè in cauſa de præſenti determinata ad eadem ponenda potius quàm non ponenda ſi poneretur conditio, adhuc vt ſint de-

determinatè futura conditionatè in ſe, etiam ſub conditione non inferente, non requiritur in genere cauſæ efficientis primæ præſens determinatio eiuſdem abſoluta ex parte actus, & conditionata ex parte obiecti.

28 Alium prætereà ſtatum rerum conſiderant metaphyſici, quem diſiunctiuum, ſeù vagum dicunt; hunc ſtatum nec habent, nec habere poſſunt ex parte ſua res ipſæ, nimirum nihil eſt aut eſſe poteſt quod in ſe indeterminatum ſit; ſe tenet proinde formaliter ſolum ex parte modi tenendi noſtri intellectus diſiunctiuè, ſeù vage tendentis in res ipſas, quæ ex ſe, & in ſe determinatæ ſunt, nec propterea ex parte rei ſignificatæ importat formaliter neceſſitatem determinatam alterutrius extremi indeterminatè, ſed vtrumque diuiſim, & æquiualenter conditionatè hoc eſt ſi deficiat aliud, quem ſenſum faciunt omnes, & ſolæ propoſitiones, quas ſummuliſtæ dicunt diſiungere propriè, quæ verò impropriè tantum diſiungunt, alterum ſub diſiunctione affirmant præſcindendo ab altero.

29 Poſſibile ſic conſtitutum, & abſtraſſime conſideratum diuiditur per terminos immediatè contradictorie oppoſitos in neceſſarium, & contingens, illud eſt *quod ita poteſt exiſtere, vt non poſſit non exiſtere phyſicè* hoc eſt, *quod ita poteſt exiſtere vt poſſit etiam non exiſtere phyſicè*. Hæc diuiſio conuertitur re ipſa cùm alia diuiſione eiuſdem in ſimpliciter infinitum, & finitum ſimpliciter, ex contingenti demonſtratur ens ſimpliciter neceſſarium, & vice verſa ex neceſſariò contingens, demonſtratur inquam ex contingenti ens ſimpliciter neceſſarium cuius exiſtentia, & ſi per ſe nota ſit ſecundum ſe, non tamen eſt per ſe nota quoad omnes vniuerſaliter, ſed demoſtrabilis, & quidem ſolum à poſteriori, qui autem illam demonſtrare aggrediuntur à priori, aut per viam boni, aut per viam poſſibilis minus certum aſſumunt, & minus notum ad demonſtrandum magis certum, & magis notum, & in ſumma petunt ſibi concedi quod in dubitationem adducitur, & aſſumitur demonſtrandum.

30 Contingens ſubdiuiditur in ſubſtantiam, & accidens. Accidens diuidit, & conuenienter diuidit Philoſophus in nouem cathegorias, ſubſtantiam in primam, & ſecundam, ſecundam intelligit rationes ſubſtantiæ abſtractas ab indiuiduis inter ſe ſubordinatas vt ſunt ratio hominis, animalis, viuentis &c. primam definit *quæ neque in ſubiecto aliquo eſt, neque de ſubiecto aliquo dicitur*, & intelligit ſubſtantiam indiuiduam, & ſuppoſitatam, de qua eſt illud eiuſdem in 7. *Metaph. in primis ſubſtantijs quodquid eſt non diſtinguitur ab eo cuius eſt*, quod ideo dixit, quia deſtitutus lumine ſupernaturali fidei diuinæ non agnouit eam, quam nos fides docet diſtinctionem realem ſuppoſiti à natura ſingulari, & ideo exiſtimauit excluſionem omnis vnionis intrinſecæ naturæ ſingularis cum alieno ſuppoſito in qua formaliter, & conſtitutiuè conſiſtit ratio formalis ſuppoſitandi importare concæptum logice negatiuum, re ipſa poſitiuum, & identificatum cum ipſa natura ſingulari completa in ratione naturæ. Quod ſi eamdem agnouiſſet putamus non aliter ac ipſi docemus, dicturum rationem formalem prædictam conſiſtere in negatione pura vnionis intrinſecæ eiuſdem naturæ cum alieno ſuppoſito.

31 Subſtantia rurſus abſtrahendo à creata, & increata diuiditur in ma-

ter ialem, ſiue corpoream, & immaterialem ſiue ſpiritualem, qui autem ſpi-ritualia ſecernunt à corporeis per eſſe aliquo modo illuminatum in genere entis vtraque, miſcent, neutra aſſequuntur. Corporeũ proinde dicimus quid-quid proximè, vel remotè ex natura rei impenetrabile eſt cum aliquo alio, vel eſt affectio intrinſeca alicuius alterutro modo impenetrabilis, ac proinde ſpirituale erit, quod ex natura rei, cum quolibet alio penetrabile eſt. profe-cto quantitas, quã molis dicit Philoſophus, & eſt accidens à ſubſtantia in re di-ſtinctum eſt ipſa proxima, & naturalis impenetrabilitas, remota, eſt ipſa ma-teria, quàm primam appellant phyſici; ab his impenetrabilitatem participant quæcunque ex natura ſua exigunt ita eſſe intrinſeca ijſdem, vt vi nullius agen-tis naturalis poſſint ab ipſis diuelli.

32 Eſt, & alia diuiſio entis poſſibilis abſtractiſſimè ſumpti, quàm con-ſiderare par eſt in abſolutum, & relatiuum. Relatiua ſunt inquit Philoſo-phus *quorum eſſe eſt ad aliud aliquo modo ſe habere*; Formæ autem referendi aliæ tranſcendentales ſunt, aliæ in determinato prædicamento; habentur hæ adæquatè per ſolam proximam, & adæquatam rationem fundandi, illæ ſunt prædicatum adæquatè identificatum cum eo, quod refertur, & licet hoc plerumque importet connexionem eiuſdem cum termino, non tamen forma-liter in ea conſiſtit, ſed in pura, & ſola reſpicientia termini, proinde tum ad terminum exiſtentem, tùm ad non exiſtentem, tùm ad poſſibilem, tùm ad im-poſſibilem ſunt huiuſmodi relationes.

DE CORPORE NATVRALI IN COMMVNI.

33 Corpus naturale eſt ſubſtantia completa conſtituta ex duplici phyſi-cè parte, quarum altera habet rationem perfectibilis, complebilis, actuabilis, altera ratio complens eſt actuans, & perficiens, altera proinde ſu-biectum phyſicum eſt, altera forma phyſica, neque enim nomine ſubiecti phyſici intelligitur aliud, quàm entitas, quæità ex ſe incompleta eſt, & im-perfecta, vt phyſicè indifferens ſit ad hanc, vel illam perfectionem hoc vel il-lud completiuum, hunc vel illum actum, & hoc eſt quod Peripatus vult per iſtum terminum *forma phyſica*; hinc eſt quod exiſtentiam vtriuſque demon-ſtret indiuiſibiliter tùm à priori, tùm à poſteriori; demonſtrat à priori ex con-cæptu quidditatiuo tranſmutationis ſubſtantialis accæpto à metaphyſica, quid enim eſt aliud tranſmutatio ſubſtantialis quàm tranſitus vnius in aliam ſub-ſtantiam? huiuſmodi eſt tranſmutatio ſubſtantialis? igitur in ſubſtantia tran-ſeunte eſt aliquid quod perit, aliquid quod remanet, neque enim tranſire diceretur in aliam, ſi vel tota remaneret, vel periret tota, eſt aliquid quod perit, aliquid quod remanet? igitur eſt in illa aliquid, & aliquid, & quidem diſtincta realiter, nempe exiſtens à non exiſtente diſtinguitur realiter, iam quod remanet, vel eſt de ſe indifferens ad acquirendum aliquid, quod non habebat antea vel non, ſi non eſt indifferens, quomodo tranſit ad habendum illud? ergo in ſubſtantia tranſeunte eſt pars indifferens; hanc vocat Philoſo-phus ſubiectum, ergo conſtat ſubiecto, conſtat etiam forma nempe indiffe-rens vt indifferens non poteſt tranſire ad eſſe determinatum, niſi per aliquod

deter-

determinans, eſt indifferens illud ſubiectum vt probatum eſt, & quidem phyſicè; ergo tranſit ad eſſe determinatum per hoc quod recipiat aliud, quod habet rationem partis determinantis, hanc dicit formam; ergo quoduis corpus naturale conſtitutum eſt ex ſubiecto, & forma realiter diſtinctis; Et quidem horum quoduis ſubſtantia eſt, neque enim intelligi poteſt tranſmutatio ſubſtantialis, niſi id quod tranſit, & id, ad quod tranſit ſubſtantia ſit, ex quo rurſus fit quod requirat, & bene vltrà componentia prædicta ſubſtantialem vtriuſque compoſitionem, quam vnionem vocat cum ſubſtantia, niſi ex ſubſtantijs conſtare nequeat, requirit autem, quod ſit in re ab vtroque componente diſtincta, ſiquidem etiam ſtantibus cæteris omnibus requiſitis adhuc vtrumque eſt formaliter indifferens ad componendum, & non componendum, & ex indifferenti determinatum fieri nequit ſine determinante in ea ratione, in qua eſt indifferentia. Subſtantiam denique intelligit primam radicem cuiuſuis rei, cui debentur quæcumque inſunt, & debentur tali rei, in quo fundatum eſt celebre effatum Philoſophi *deſtructis primis ſubſtantijs impoſſibile eſt quidquam remanere*.

34 Demonſtrat iterum hanc veritatem à poſteriori inductione vniuerſaliſſima in omni tranſmutatione artificiali, & accidentali, in qua datur ſemper aliquid, quod remanet, aliquid quod perit, aliquod quod de nouo aduenit, & profecto quod remanet ad vtrumque indifferens eſt, ſiquidem vtrumque habet diuiſiue. Ex eo autem quod iſtud remanens artifices materiam appellent, Philoſophus naturalia exponens per analogiam ad artificialia, ſubiectum remanens in quauis, & ſub quauis tranſmutatione ſubſtantiali appellat materiam, & quidem primam, ſi enim prima non eſſet ex alia fieret quæ eſſet prima, & ſi non prima illa ex alia, vnde cum proceſſus in infinitum impoſſibilis ſit, euidens eſt illam materiam, ex qua fiunt quæcumque per tranſmutationem ſubſtantialem fiunt eſſe primam. Prima eſt igitur ingenita eſt, & incorrupta, imò ingenerabilis, & incorruptibilis; ergo non per tranſmutationem fit, quæ omnis ex ſubiecto eſt, ſed independenter à ſubiecto fit, igitur creata eſt, & conſequenter quoduis aliud quod ex illa fit non creatum, ſed genitum eſt, adeoque verum eſt eorum quæ per naturalem tranſmutationem fiunt *nihil ex nihilo fieri*, ſiquidem omnia ex materia prædicta fiunt; his adde quæcumque ab agente creato fiunt ex iſta materia fiunt, & non aliter; ergo agens creatum ſaltem naturaliter operando non poteſt aliter agere; & ſi etiam aliter poſſit eleuatum ab agente primo quod veriſſimum puto, àn autem poſſibile ſit agens creatum, quod ex natura ſua poſſit aliter agere non decerno, illud aſſero non eſſe euidens repugnare.

35 Vlterius ex iſta conſtitutione corporis naturalis rectè infert idem Philoſophus eiuſdem principiationem, quàm *fieri* appellant, tria inuoluere in ſuâ conſtitutione formali, duo ſecundum rem, vnum ſecundum dici nempe materiam formam, & priuationem huius: neque enim priuatio hæc, quam intelligere eſt neceſſe ad intelligendum tranſitum materiæ à non forma ad illam habendam aliquid eſt de formali, ſed eſt præciſe non eſſe eiuſdem formæ in inſtanti immediatè antecedenti actionem generatiuam, quæ quidem in illo inſtanti non eſt eſſe tamen poterat, eſt autem in inſtanti immediatè ſequenti.

non

non meminit hic Ariſtoteles aut formæ antecedentis, aut eiuſdem priuationis, quia principationem hanc conſiderat, vt præciſè mutatio phyſica eſt, non vt mutatio conuerſiua eſt.

36 Porro materia, quæ tum in fieri, tum in facto eſſe conſtituit corpus naturale, & ſi pura potentia ſit reſpectu cuiuſuis actus formalis non tamen expers eſt, omnis omninò actus etiam entitatiui, quippe quæ ſtrictè aliquid eſt, exiſtit proinde ex ſe formaliter, & non per formam, quin & ſi eſſet verum in creatis diſtingui realiter eſſentiam ab exiſtentia non propterea ſequeretur eandem exiſtere per exiſtentiam formæ, & non per ſuam. Potentia ſimiliter eſt per ſe ipſam immediatè ad omnes formas ſubſtantiales, potentia inquam non ſolum per modum non repugnantis, ſed & poſitiuè exigentis, & appetentis illas, vt turpe pulcrum, quia verò tota turpitudo illius eſt in hoc, vt ex ſe incompleta ſit, adeoque ad hoc eſt in natura, vt vnum per ſe faciat cum illis, quamlibet determinatam indeterminatè, & æqualiter appetit, & ità appetit, vt carere omni non poſſit, niſi diuinitus, ſi autem careret, non propterea deberet in nihilum abire; forma denique cum qua media vnione conſtituit corpus naturale, & ſi *ratio quidditatis, & quodquid erat eſſe* à Philoſopho nuncupetur non tota quidditas eſt, ſed pars quidditatis eiuſdem; totum autem ex his tribus conflatum ab ijſdem indiuiſim ſumptis, & in recto diſtinguere ex parte obiecti, eſt idem omninò de eodem omninò negare.

37 Ab vtroque hoc conſtitutiuo dicitur naturale, ſeù à natura corpus ex vtroque conflatum, quia vtrumque natura eſt hoc eſt *principium motus, & quietis eius, in quo eſt primo, & per ſe, & non ſecundum accidens*. alterum quidem actiuum, & paſſiuum ſimul, alterum paſſiuum tantum, quod ſufficit ad rationem naturæ iuxtà intelligentiam Philoſophi; hinc tum motus, tum termini qui ſunt à toto, & in toto conſtituto ex his iuxtà exigentiam eiuſdem naturales dicuntur, ſiue ſecundum naturam, violenti vero, qui ab extrinſeco ſunt cum renitentia illius, ſicut autem, vt à toto ſint ſufficit ſi ab altero ſint, ità vt in toto ſint ſufficit quod ſint in altero conſtituente totum, ſed vt ſint iuxtà exigentiam totius non ſufficit, quod vna pars non reluctetur, ſi renititur altera. Qui quod natura præſtat per artem ſuam immediatè moliri contendunt, naturam deſtruunt, vt artem perficiant, poſſunt quidem, & aliquando etiam applicando actiua paſſiuis faciunt, vt natura faciat, quæ ipſi volunt, qui tamen non dominantur naturæ, facere vt ipſa faciat quæcunque volunt, & per eandem fieri poſſunt nequaquam poſſunt.

38 Cauſarum aliæ extrinſecæ dicuntur, aliæ intrinſecæ. Hæ melius dicuntur conſtitutiua quam cauſæ, quæ nempè partes non ſunt in genere cauſæ, ſed cauſæ in genere partis. Si in hoc genere totum quæras, partem non partem quæris, hoc eſt partem, vltrà quam non ſit pars, harum effectus totum eſt ex ipſis conſtitutum, quod effectus ſimpliciter non eſt, ſed cum additio diminuente hoc eſt formalis; proderit autem aduertiſſe reſpectu vtriuſque componentis dici effectum formalem, & ſi non vtrumque forma ſit, ſed alterum ſubiectum, alterum forma; quia perinde vtrumque eſt de quidditate illius, quæ forma metaphyſica ſolet nuncupari, quia verò non quoduis ſubiectum eſt cuiuſuis formę ſubiectum, nec forma quæuis cuiuſuis ſubiecti forma,

ma, ideo non quiuis effectus formalis ex quouis ſubiecto, & ex quauis forma reſultat, quod autem reſultat ex entitate vtriuſque tanquam ex virtute proximè cauſatiua reſultat: vnio vtrumque nectens quamuis, & ipſa componat, quia componit ſolum vt quo, ſiue eſt id quo illa componunt non cauſa dicitur ſed vtriuſque cauſalitas.

39 Huiuſmodi cauſæ munus gerunt in corpore naturali materia, & forma, materia verò alium præterea influxum præſtat in illud materiale quidem, ſed extrinſecum, quo nempe, vel vnionem, & formam ſimul, vel ſaltem vnionem ſuſtentat, qua totum conſtituitur: ſuſtentatio hæc indiuiſibiliter eſt actio reſpectu agentis, ſuſtentatio reſpectu materiæ, dicitur hæc ſuſtentare vnionem, & formas materiales in quantnm ità concurrit ad eſſe illarum vt eas virtute præcontineat, in ſuo genere, & propteteà non ſolum conditio eſt prærequiſita naturaliter ſicut eſt teſpectu animæ rationalis, ſed etiam cauſa.

40 At verò cauſæ extrinſecæ ſunt efficiens, & finis, illud eſt, *vnde aliquid oritur*, hic *cuius gratia aliquid ſit*, de ratione illius eſt, quod ſit prius natura ſuo effectu, ſed non illius tantum verum cuiuſcunque ſe tenentis ex parte actus primi proximi ſiue conſtituentis ſufficientiam adæquatam vt alterum ſit, propterea actus iſte primus, qui phyſicus appellatur debet contradiſtingui ab actu ſecundò, nec fieri poteſt, vt quod ſe tenet ex parte actus ſecundi ſecundum idem eſſe ingrediatur conſtitutionem actus primi ne alias idem ſit, antequam ſit, & à ſe ipſo ſit diſtinctum realiter; proindè mutua prioritas naturæ ſecundum idem eſſe, & pro eodem inſtanti reali repngnat ſimpliciter. Dixi ſecundum idem eſſe nam finis prout exiſtens intentionaliter præcedit natura ſe ipſum prout exiſtentem phyſicè, ly prout in prima reduplicatione appellante conditionem non cauſam, licet enim vt finis finalizzet, requiratur eſſentialiter cognitio, in qua prout exiſtens mouet, non tamen mouet per ipſam cognitionem tanquam per virtutē, ſed per ſuam bonitatem tantū, mouet autem ad agendū agens rationale creatum, perinde bonitas apparens, ac realis aiente philoſopho *id enim cuius gratia optimū, & finis cæterorū vult eſſe differre autem nihil dicere bonum, vel apparens bonum*; increatum nec realis, nec apparens mouet quod vt docet Angelicus *non vult hoc propter hoc, ſed hoc eſſe propter hoc*; dixi pro eodem inſtanti reali nempè prioritas naturæ, licet ſit realis prioritas non tamen importat diſtinctionem realem inſtantium, ſed duplicis ſigni in eodem inſtanti reali, in quorum altero, quod dicitur ſignum prius præſcinditur ab omni eo, quod ſe tenet ex parte ſigni poſterioris, nec non ab omni per accidens ſe habente ad eſſe alterius, & ſolum intelligitur omne id, quod conſtituit actum primum proximum completum ad exiſtentiam eius, quod eſt in ſigno poſteriori, actio qua vnum procedit ab alio eſt ratio formalis denominans in actu ſecundo alterum prius, alterum poſterius natura, & quamuis ſit in re diſtincta ab eo, quod eſt poſterius eſt tamen in eodem ſigno cum illo, quoties autem reperimus in termino indifferentiam vt procedat ab hoc, vel illo agente, ita vel aliter toties ponimus inter vtrumque actionem diſtinctam, qui omnem indifferentiam phyſicam auferendam cenſemus per determinationem ſuperadditam, ſed non quia ſufficit

vna

vna actio ad auferendam indifferentiam prædictam, ideo cenſemus ſimpliciter repugnare plures, etiam totales reſpectu eiuſdem termini, & profecto diuinitus non repugnant eſto repugnent naturaliter.

41 Sicut finis, vt finalizet, ita idea, vt ideizet debet præcognoſci, ſicut virtus finalizans in fine non eſt cognitio, ita in idea non eſt conceptus formalis, ſed obiectiuus rei, & licet formalis poſſit ideizare non tamen poteſt, niſi tranſeat in obiectiuum; eſt autem idea *forma in mente, quam imitatur effectus ex intentione agentis determinantis ſibi finem*. Propterea operari ex idea ſoli agenti intellectuali conuenit, conuenit autem tùm creato, tùm increato. Idea ad genus efficientis propius accedit, quàm ad aliud quodquis, non quia efficienter influat, vt idea, ſed quia directiuè efficit; genera autem cauſarum quatuor numerauit Philoſophus efficiens, finale, materiale, formale, quæ diuiſio, & ſi conueniens ſit non tamen immediata eſt, quam altera præcedit inſinuata ſuperius, qua cauſa diuiditur in extrinſecam, & intrinſecam; cauſam abſtractiſſimè ſumptam definies *quod determinat cum virtute ad eſſe alterius*, ſiue *quod vel tranſitiue, vel intranſitiuè influit per ſe eſſe in aliud* omnis cauſa eſt principium, non tamen omne principium eſt cauſa eius, cuius eſt principium.

42 Fortunam, & caſum cauſas facere entia per accidens, hæc autem ſunt inquit Philoſophus, *quæ cum ſint nec ſemper ſunt, neque vt plurimum*, dari verò in ordine phyſico ſtante iſta rerum conſtitutione non aliter neceſſarium eſt, ac neceſſarium ſit dari peccata in ordine morali; fortuna dicitur cauſa per accidens eorum, quæ raro contingunt agentibus propter finem formaliter, caſus eorum, quæ raro contingunt agentibus propter finem materialiter, & ſi plura per accidens ſint cauſis ſecundis, cauſæ primæ nihil accidit, cuius prouidentia reguntur omnia. Si fatum intelligas inquit Angelicus ex Boetio *inhærentem rebus natura ſua mobilibus diſpoſitionem immobilem, qua diuina prouidentia ſuis quæque nectis ordinibus*, fatum ponimus, eoque fatemur omnia gubernari.

43 Qui nec ſubſtantias, nec accidentia norunt, quin, & ſi quid aliquando norint perſæpè dubitant, motum agnoſcunt, localem tantum, cuius tamen cauſas ignorant, quem impreſſum dicunt corporibus, à quo? Non ſatis decernunt, & ex vno in aliud corpus tranſmigrantem. àn igitur ſola latione mouentur corpora, & non etiam alterantur, augentur, generantur, corrumpuntur? ſed, & ſi ſola latione mouentur igitur accidens eſt, & ſubſtantia, nempè accidens phyſicum dico, quod perſiſtente eo, cui inheret ipſum abeſt, ſubſtantiam verò id quod ſine altero perſiſtit, ſi autem perſiſtit, & ſecundum naturam ſuam mouetur ità vel aliter, cur non, & poſſe moueri per virtutem ſibi intrinſecam, quin & alia mouere datum eſt illi ab auctore naturæ? ¦equidem inquit D. Thomas dubitare, àn rebus creatis indita virtus ſit progignendi plures effectus non opinari eſt, ſed inſanire. Miſeret me plurimum Democriti, in cuius officina vnum tantum intrumentum reperio motum localem, quo ipſe conficitur, ſi enim corpora poſſunt moueri localiter, & poſſunt non moueri igitur poſſunt, & aliquid acquirere, quod non habebant, & aliquid deperdere quod habebant, cur autem locum tantum, & non plures

alios

alio; termi nos? quod ſi, & ad hos, & ad illum moueri poſſunt, alterari poſſunt generari, & corrumpi, quod enim poteſt moueri ad aliquem terminum, poteſt per ſe illum aſſequi, ne alias ponamus aliquid potens per ſe moueri ad terminum ſimpliciter inaſſequibilem, non igitur corpora naturalia athomi ſunt omninò inſectibiles, ſed ſubſtantiæ compoſitæ, ac præditæ virtute generandi ſibi ſimiles ſubſtantias, & propterea varia accidentium ſuppellectile inſtructæ, operantur autem illas per ſe ipſas immediate, & ſi accidentium ſatellitio indigeant, quæ ſibi cooperentur; àn autem poſſint agentia creata eleuari ab Auctore naturæ ad operandum, quemlibet terminum, qui alias non repugnet exiſtere in rerum natura dubium eſt: mihi cui nec repugnare, nec non repugnare huiuſmodi creatam euidens eſt, hoc eſt perſuaſum eleuabilitatem hanc eſſe prædicatum contingens rationi genericæ entis creati, adeoque probabilius videtur talem creaturam eſſe poſſibilem.

44 Motus igitur alius eſt ad ſubſtantiam, alius ad quantitatem, alius ad qualitatem, alius ad vbi, vniuerſim autem motus eſt inquit Philoſophus *eius quod potentia exiſtit actus, quatenus huiuſmodi*, videlicet actus potentiæ actiuæ, & paſſiuæ prout tales ſunt, qui licet principalius ſpeciem deſumat à termino ad quem eſt, ſpecificatur etiam ab agente, & ſubiecto. Eſt idem realiter cum actione, & paſſione; illa eſt *actus huius in hoc*, hæc *actus huius ab hoc*. Succeſſionem eſſe de eſſentia motus negant Nominales, nos inter motum denominatiuè, & quidditatiuè ſumptum diſtinguentes aſſerimus ſucceſſionem eſſe de ratione motus quidditatiuè, non autem denominatiuè ſumpti, motum denominatiuè intelligimus illud poſitiuum, per quod ſubiectum tanquam per formam, qua dicitur aliter ſe habere modo, ac anteà. hoc autem dicimus non exigere eſſentialiter ſucceſſionem, ſicut nec quantitas exigit eſſentialiter extenſionem localem, àn verò ſicut quantitas exigit connaturaliter aliquam extenſionem localem ità poſitiunm prędictum exigat connaturaliter aliquam ſucceſſionem, attenta præcisè natura eiuſdem poſitiui, putamus probabilius non exigere vllam. Hinc rationem reddimus cur aliquando Philoſophus diſtinguat inter motum, & mutationem aliquando non. Diſtinguit enim cum motum ſumit denominatiuè tantum, ſecus cum illum ſumit quidditatiuè.

45 Porro ſucceſſio ipſa cui de facto motus ſubeſt eſt formaliter, & conſtitutiuè ipſum tempus, acutè proinde philoſophus vbi tempus definiuit per numerum motus, addidit, *non ergo motus tempus eſt, ſed quatenus numerum habet motus*, quaſi diceret tempus non eſt motus ſpecificatiuè ſumptus hoc eſt ſecundum illud poſitiuum ſolum, quod denominatur motus, ſed eſt motus quatenus numerum habet, hoc eſt quatenus ſubſtat ſucceſſioni; hinc ſatisfacimus Auguſtino interroganti, àn tempus ſit ipſa circulatio ſolaris, vel mora, in qua peragitur vel vtrumque ſimul; Reſpondemus enim tempus ſecundum id, quod dicit de formali eſſe moram, ſeu ſucceſſionem ipſam, in qua ſolis circulatio peragitur, ſecundum id, quod dicit de materiali eſſe eamdem circulationem, ſecundum integram denominationem eſſe vtrumque; ſunt autem ſucceſſio, ſiue extenſio temporaria durationes ipſæ, in quibus cæleſtium orbium reuolutiones peraguntur, quæ quidem ſunt eſſentialiter ipſa

 diſtin-

diſtenſio temporaria, ſiue ipſum ante, & poſteà, ſicut vbicationes ſunt eſſentialiter ipſa extenſio localis ſiue ipſa diſtantia ſecundum locum; propterea ſunt menſura intranſitiua ſui, & tranſitiua ſubiecti, quod afficiunt; dicuntur verò antonomaſticè tempus circulatio ſolis, vel primi mobibilis, prout ſubſtant durationibus prædictis, non quia, & alij motus proùt ſnbſtantes durationibus, in quibus fiunt nòn poſſent eſſe menſura temporaria, ſed quia reuolutioues prædictæ regulatiſſimæ ſunt, & maximè notæ, adeoque menſura certa ſunt cæterorum motuum.

46 Hinc intelligitur diuiſio temporis in extrinſecum, & intrinſecum; tempus extrinſecum ſunt reuolutiones orbium cæleſtium prout ſubſtantes talibus durationibus, tempus intrinſecum ſunt durationes, quibus quæcunque ſub ſole ſunt, & mouentur coexiſtunt ijſdem reuolutionibus, ſic durationes cæleſtium motuum, quæ menſura intrinſeca ſunt eorundem ſunt menſura extrinſeca motuum inferiorum. Motuum cæleſtium menſutam extrinſecam exiſtentem extrà æternitatem Dei, ne quære; neque enim vltra illa alia ſunt corpora, quorum durationibus illorum motus menſurentur; æternitas autem Dei menſura eſt incomenſurabilis, quæ nempè incomenſurabiliter complectitur omnia tempora, niſi forte velis durationes cæleſtium motuum durationibus Angelicis menſurare, & durationibus ſupremi Angeli velociſſimis durationes omnium rerum creatarum diſtinguere; profectò duratio ipſa eſt in re diſtincta à tempore extrinſeco, & re dnrante, quin, & durant per durationem diſtinctam etiam actiones, quibus res producuntur, & conſeruantur, imò motus ipſe ſucceſſioni ſubiacens à ſucceſſione cui ſubeſt in re diſtinguitur, ſiquidem hæc omnia tranſitiuè indifferentia ſunt, vt ſint in hoc, vel illo tempore, nullum tamen creatum indifferens eſt, vt ſit, & non ſit in vlla duratione, adeoque repugnat creatura, quæ ſit, & nunquam ſit; denique durationes ipſæ, quibus tempora conflamus indiuiſibiles ſunt formaliter, diuiſibiles æquiualenter.

47 Sicut tempus eſt menſura motus, ità locus eſt menſura ſpatij, in quo res continentur, ſicut tempus intrinſecum eſt menſura intranſitiua ſui, & tranſitiua eorum, quæ afficit, ità locus intrinſecus eſt menſura intranſitiua ſui ſpatij, ſiue eſt intranſitiuè ipſum ſpatium, & tranſitiua eorum, quæ illo continentur ſiue eſt ſpatium tranſitiuum rei; quam complectitur, ſicut tempus denominatiuè eſt motus, qui ſubiacet ſucceſſioni, formaliter, eſt ipſa ſucceſſio, quidditatiuè vtrumque, ità locus denominatiuè eſt ſuperficies vltima corporis continentis aliud, formaliter eſt vbicatio immobilis eiuſdem ſuperficiei hoc eſt tanta diſtantia à cæteris vbicationibus, quidditatiuè eſt vtrumque, ſicut tempus exrrinſecum ſunt motus cęleſtium orbium prout ſubiacent tali ſucceſſioni, ità locus extrinſecus eſt vltima ſuperficies corporis continentis prout eſt in tanta diſtantia ab alijs vbicationibus, qua corpus contentum menſuratur, ſicut quæcunque creata ſunt, ſunt in tempore intrinſeco nec eſſe, quidquam poteſt quod nunquam ſit, non tamen omnia ſunt in tempore extrinſeco ità quæcunq; ſunt ſunt in loco intrinſeco, nec eſſe quidquam poteſt quod nullibi ſit, non tamen omnia ſunt in loco extrinſeco, ſicut quoduis creatum à duratione durat per durationem diſtinctam ab ipſo, & tempore

re

re extrinſeco, in quo durat, ipſa autem duratio non durat per aliam durationem ſibi intrinſecam, quia eſt vltima ratio determinans ad durandum, ita quoduis creatum ab vbicatione eſt in loco per vbicationem diſtinctam ab ipſo, & loco extrinſeco, in quo eſt, ipſa autem vbicatio non vbicatur per aliam vbicationem; quia eſt eſſentialiter vltima ratio determinans ad eſſendum hic, ſiue eſt intranſitiuè ipſum, hic, denique ſicut duratio, ita & vbicatio eſt eſſentialiter inreplicabilis, ſed non ſicut eſt eſſentialiter inreplicabilis vbicatio,ità ſunt eſſentialiter inreplicabilia corpora vbicata, & quidem poſſe diuinitus replicari definitiuè eſt certum fide diuina, circumſcriptiuè autem, & ſi non poſſint naturaliter poſſunt tamen ſupernaturaliter ſicut etiam penetrari.

48 Quoduis quod continetur loco, & menſuratur tempore, vel infinitum ſimpliciter eſt, ſiue actu, vel categorematicè vt dicitur, vel finitum ſimpliciter ſiue actu, vel finitum in infinitum, ſiue infinitum ſincategorematice tantum; nihil autem horum putamus eſſe, aut poſſe eſſe primò modo infinitum, ſiue ſecundum ſpeciem quantitatis virtualis hoc eſt ſecundum perfectionem, ſiue ſecundum ſpeciem quatitatis formalis, ſiue continuæ, ſiue diſcretæ, ſiue permanentis, ſiue ſucceſſiuæ; proinde nulla creatura ſiue ſucceſſiua, ſiue permanens fuit, aut potuit eſſe ab æterno, quodquis igitur creatum, quod actu eſt, aut poteſt eſſe actu finitum eſt, & infinitum ſolum in potentia, ſi in potentia appellante ex parte primi principij effectiui potentiam actu, & vndequaque infinitam, ex parte termini totum poteſtatiuum ſiue indeterminatum ex eo quod principium prædictum potentia ſit ad finita in infinitum, & propterea nequit facere infinitum ſimpliciter ſicut nec creaturam omnium poſſibilium perfectiſſimam.

49 Compoſitionem continui tùm ſucceſſiui, tùm permanentis quærit actenus philoſophia in re incerta, hæc nobis certa ſunt, & euidentia, primum in vtroque continuo ante actualem diuiſionem dari partes actu diſtinctas, ſiquidem actualis diuiſio infert neceſſariò potentiam diuiſionis, potentia autem diuiſionis eſt actualis diſtinctio, ne alias idem à ſe ipſo diuidi, & ſine ſe ipſo exiſtere poſſit; alterum nullum continuum conſtare partibus finitis tantùm hoc eſt actu, & potentia finitis, hoc ipſo enim eſſent omninò indiuiſibiles, quod ſi omninò indiuiſibiles igitur repugnarent motus inæquales in tempore æquali cum ſit euidens repugnare aliquid minus omninò indiuiſibili; tertium denique eſt nullum continuum componi ex partibus actu diſtinctis, & infinitis actu, vel enim eſſent omninò indiuiſibiles, & ſic idem quod prius, vel ſemper diuiſibiles, & ſi ita, aut eſſent diuiſibiles in partes non communicantes determinatas, & æquales vni certæ, & ſic quæcumque extenſio, quæ datur actu eſſet actu infinita extenſio, aut eſſent diuiſibiles in partes proportionales, & communicantes, & ſic quoduis continuum eſſet ſucceſſiua numeratione inpertranſibile, vtrumque autem manifeſtè repugnat. Ex his deducimus, in quouis continuò dari partes actu diſtinctas aliquo modo infinitas, quod enim actu eſt, & cunſtat partibus actu diſtinctis, nec finitis tantum, nec infinitis ſimpliciter conſtat partibus finitis ſimul, & infinitis, finitis quidem actu infinitis autem potentia, cum autem iſta potentialis infinitas, non poſſit conſiſtere,

ant in diuiſibilitate formali, aut in capacitate ammittēdi vniones cōtinuatiuas, aut in educibilitate plurium ex eadem parte, cenſemus probabilius eſſe quoduis continuum componi partibus actu diſtinctis, & finitis æquiualenter finitè in infinitum in partes minores diuiſibilibus; diuiſibilitatem iſtam per equiualentiam intelligimus diuiſibilitatem purè extrinſecam per comparationem ad partes minores, & minores finitas in infinitum ponibiles à Deo loco cuiuſuis partis formaliter indiuiſibilis; nec propterea inflantes ſumus, qui à diſtenſione, & compreſſione partium abhorremus, & ſi fateamur eaſdem prout affectæ fuerint diuerſa accidentium complexione modo maius, modo minus ſpatium occupare intrà menſuram tamen ſpatij adæquati corporis eius ſunt partes, quod omnes peripatetici docent; Vnum aſſumimus, & probamus etiam in linea entis quanti indiuiſibilitatem componi cum poſitiua inæqualitate. Sic cum communi ſenſu philoſophorum iu omni continuò actualem partium diſtinctionem ponimus, cum Zenone indiuiſibilitatem, cum Ariſtotele potentialem infinitatem, rurſus iuxtà doctrinam eiuſdem tempus motum ſpatium proportionaliter ſe habere dicimus, denique quantitatem continuam, quæ eſt accidens materiæ proprium materiæ proportionamus, ſicut enim hæc finitas in infinitum formas virtualiter præcontinet, ità quælibet pars determinata illius finitis in infinitum partibus æquiualet, ſecundum decrementum tamen quia in habentibus molem indiuiſibilitas eſt ſecundum imperfectionem, ſicut è contrario in mole carentibus indiuiſibilitas arguit perfectionem, quapropter cum verum ſit cui omnia conſonant concludimus noſtram ſententiam non ſolum probabiliorem, ſed veram eſſe.

DE CORPORIBVS COELESTIBVS.

50 A Corpore naturali in communi gradum facimus ad corpora cæleſtia, non quia ſint nobiliſſima ſpecies co rporis naturalis, neque quia vt exiſtimauit philoſophus omnia incorruptibilia ſint, ſed quia cauſæ vniuerſales ſunt cæterorum corporum. Ante omnia autem certum eſt ſpecioſiſſimam hanc reſum vniuerſitatem, quàm corpora cæleſtia, & ſublunaria componunt, & Mundi nomine appellamus non eſſe vnam vnitate compoſitionis, aut eſſentialis, aut integralis, cuius partes ſolum contiguæ non informantur aliqua forma communi, quæ anima mundi ſit, vt viſi ſunt crediſiſſe Plato, Pittagoras, & Triſmegiſtus; eſt tamen vna tùm vnitate identitatis cùm ſuis partibus collectiuè, tum vnitate ordinis, nec ſolum vna, ſed vnica eſt vnitate prædicta: nempè ſi quæ præter ea, quæ condita ſunt conderentur à Deo ad ipſum pariter, & conſequenter etiam inter ſe, & cum ijs, quæ de facto ſunt ordinata; eſſent, ac proinde cùm ijſdem vnum facerent vnitate ordinis vt docet Angelicus Doctor; perfecta etiam eſt vt nomen ipſum ſonat, & ſacræ paginæ teſtantur, in quibus legimus *vidiſſe Deum cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.*

51 Partem mundi alteram Cœlum conſtituit, quo nomine orbes omnes Cæleſtes complectimur hoc eſt Empireum, Cœlum Cryſtallinum, Firmamentum, orbes planetarios, & corpus quoddam tenue, ac ſubtile ab alitibus in-

fe-

ſeriorum corporum depuratum, quod ab Orbe lunari vſque ad firmamentum protenditur, & ſedes eſt, in qua Orbes planetarij ſuos motus exercent. Ex his ſolum firmamentum diuidens aquas ab aquis hoc eſt Cœlos, qui ſupra, & qui infra ipſum ſunt, ſolidum eſt, cæteri nempè empireum criſtallinum, & cœlum planetarium fluidi ſunt, & corruptibiles ſecundum ſe, ac proinde cõpoſiti ex materia, & forma, ex quibus pariter compoſiti ſunt orbes planetarij: tamen animati non ſunt vlla anima, nec ab intrinſeco mouentur, ſed ab intelligentia aſſiſtente, à qua etiam firmamentum rotatur. Influunt in hæc inferiora tùm per lucem, & calorem, tùm per aliàs qualitates; non in animam rationalem, quæ cum ſit in ſuo eſſe à materia independens eorum actiuitati ſubiecta non eſt.

52 Altera Mundi pars globum terraqueum phyſicè rotundum complectitur, & corpus tenue, ac permeabile quod ab hoc ad lunarem orbem protenditur, & ad quinquaginta duo milliaria altitudinis nuncupatur aer, reliquum ignem dicunt, àn verè ignis ſit vnum ex corporibus elementaribus, vel corpus eiuſdem rationis cum aere, ſed magis tenue, & depuratum magis ab halitibus craſſioribus non decernimus hic, vbi vnice intendimus maiores mundi partes ſecundum locum diſtribuere, non tamen ad mentem Corpernici, ſed iuxtà effata eius qui mundum fecit, iuxtà quæ, tùm per reuelationem habita, tùm per rationem naturalem acquiſita ità mundum conſtituimus vt in medio, ſeu centro terra ſit immobilis, circa quam luna voluitur, & poſt magnum interuallum Sol. Solem habent prò centro ſuarum reuolutionum primò Mercurius, deinde venus, vltimo Mars ab vtroque remotiſſimus. Soli, & lunæ concentricus Iuppiter eſt, & ipſe centrum quatuor minorum Orbium, quos primus inſpector Galileus de Galileis ſtellas mediceas, & Iouis ſatellites nuncupauit. Ioui concentricus Saturnus eſt, qui & ſuos ſatellites habet duas ſtellas minores, quæ circa ipſum rotantur. Saturnum excipit firmamentum, ſeù Cœlum ſtellatum, cui ſupereminet cælum criſtallinum, & huic denique empireum ſedes feliciſſima Beatorum.

DE CORPORE GENERABILI, ET CORRVPTIBILI.

53 GEnerationem ſubſtantialem definiens philoſophus primò de ortu, & *inter. tex.*23. inquit: *cum verò totum tranſmutatur non remanente aliquo ſenſibili, vt ſubiecto eodem generatio iam hoc tale; huius autem corruptio.* Eſt dicere cum vna ſubſtantia in aliam conuertitur non remanente aliquo ſenſibili, vt ſubiecto eodem tunc eſt generatio ſubſtantialis; ſed vide ne generationem formalem miſceas cum effectiua. Nempe formalis vt de facto contingit non quæcunque mutatio eſt, ſed conuerſiua includens tranſitum duplicem, alium per quem materia de ſubiecto formæ vnius tranſit ad non ſubiectum eiuſdem, alium per quem de non ſubiecto formæ alterius tranſit ad eſſe ſubiectum illius: effectiua eſt actio ipſa, per quam ab agente ex ſubiecto fit vnio, qua forma ſubſtantiæ de nouo genitæ communicatur materiæ, ſiue forma etiam fiat per eandem actionem, vt contingit in omni generatione ab humana, ſiue per illam non fiat, ſed per actionem creatiuam, vt

in humana contingit, proindè terminus formalis actionis prædictæ eſt forma vt communicata materiæ, totalis eſt ſubſtantia ſimpliciter quæ ab actione eadem tanquam à forma, qua denominatur de nouo genita, actio eadem quæ generatiua eſt vnius corruptiua eſt compoſiti alterius, vnde illud *generatio vnius eſt corruptio alterius* ly *eſt* non identitatem importante, ſed connexionem ſimultatis, in quantum ſcilicet nequit naturaliter eſſe actio productiua vnius compoſiti, quin hoc ipſo ſit actio corruptiua alterius ex eadem materia conflati. Dixi naturaliter neque enim actio generatiua eſt eſſentialiter conuerſiua. Eſt autem conuerſio formalis *tranſitus vnius rei in aliam*, qui & ſi non petat neceſſariò de nouo produci terminum formalem ad quem, requirit tamen neceſſariò quod deſtruatur terminus formalis à quo.

54 Cum ex vna ſubſtantia fit alia pereunt aliqua, non tamen omnia accidentia ſubſtantiæ, ex qua altera fit, proindè non datur in tranſmutatione prædicta reſolutio vſque ad materiam primam; id quod ſatis expreſſit philoſophus cum dixit *non remanere vllum ſenſibile vt ſubiectum idem*; qui enim dicit non remanere vllum ſenſibile vt ſubiectum idem, non negat remanere vllum ſenſibile, ſed aſſerit ſolum non remanere idem ſubiectum ſenſibile, quod eſt verũ, & ſi etiam verũ ſit remanere aliquod ſubiectũ, & aliquod ſenſibile, quia [illegible], & eadem accidentia remanent, quæ ſoli materiæ inhærent vt ſunt omnia accidentia communia corrupto, & genito. Eſt autem ſubſtantialis corruptio iuxtà philoſophum *mutatio ſubiecti, in non ſubiectum*, ſiue eſt deſitio rei in nihilum ſui, ſed non in nihilum ſubiecti; ſicuti enim ad annihilationem requiritur quod res abeat omninò in nihilum, ità ad corruptionem neceſſarium eſt quod remaneat ſubiectum, ex quo res eſt; annihilari proindè poſſunt etiam genita, corrumpi ſolum genita poſſunt, ſicut annihilatio effectiua non datur, ſed datur ſolum ſuo modo negatio actionis productiuæ rei ex nihilo ſui, & ſubiecti, ità non datur corruptio effectiua, ſed ſolum negatio actionis conſeruatiuæ formæ dependenter à ſubiecto repugnat enim effectio terminata ad purum non eſſe, nihilominus actio ipſa generatiua vnius ex alio dicitur effectiua corruptio in quantum efficiendo vnam ſubſtantiam exigit deſitionẽ alterius, vt dictum eſt.

55 Alteratio eſt motus ad qualitatem, corruptiua eſt *mutatio in qualitatibus contrarijs, vel medijs remanente eodem ſubiecto ſenſibili*, actio alteratiua ſi perfectiua ſit qualitatis in eadem parte ſubiecti intenſiua dicitur. reſpectu qualitatis corruptiuæ continua eſt, & ſucceſſiua, ſucceſſiua inquam non eſſentialiter, ſed connaturaliter, connaturaliter fundata tùm in contrarietate, tùm in limitatione agentis, qualitas autem ipſa ſiue corruptiua ſit, ſiue perfectiua dummodò ſit permanens, & quæ ſecundum totam ſuam perfectionem poteſt ſimul exiſtere intenditur per additionem plurium graduum omninò ſimilium ſecundum entitatem ſuam. Habent qualitates corruptiuæ terminos intrinſecos, tùm magnitudinis, tùm paruitatis, cæteræ, & ſi omnes habeant terminos intrinſecos paruitatis, non tamen omnes habent terminos intrinſecos magnitudinis.

56 Ratio agendi inquit philoſophus in ijs, quæ agunt ſecundum qualitates corruptiuas eſt contrarietas, igitur ad agendum in paſſum extraneum

per

per qualitates prædictas requiritur diſſimilitudo, ſiquidem actio omnis corruptiua tendit per ſe ad aſſimilandum paſſum agenti, proindè quamuis ſimile ſecundum qualitates non corruptiuas poſſit à ſimili alterari, non tamen pati poteſt ab agente, quod ſimile eſt illi, in qualitatibus corruptiuis, ſecundum quas agit, quoties autem inter diſimilia prædicta intercedit actio, intercedit etiam reactio, hoc eſt *actio paſſi in agens*, exercetur enim naturaliter omnis huiuſmodi actio cũ reſiſtentia non ſolum formali, ſed etiã actiua paſſi, vnde illud *omne agens* (intelligè ſecundum has qualitates) *in agendo repatitur*, & ſi verum ſit quod communiter dicitur *actionem ſemper eſſe à proportione maioris inæqualitatis*. porro nullũ agens agere poteſt extrà ſpheram ſuę actiuitatis, cum autem agens quoduis creatum limitatam habeat ſpheram intra illam tantum naturaliter agere poteſt, ac proindè non poteſt naturaliter agere in diſtans, agit verò intrà eandem vniformiter diſformiter, tùm quia formam eiuſdem rationis intenſiorem producit in partibus proximioribus, quàm remotioribus, tùm quia in hac ipſa difformitate vniformitatem ſeruat.

57 Contrarietas eadem in cauſa eſt cur qualitates intendantur in antipariſtaſi, imò antipariſtaſis aliud non eſt quam circum obſiſtentia contrarij, quod coercendo in corpore obſeſſo corpuſcula etherogenea facit, vt ea producant in illo qualitatem eiuſdem rationis cum ea, qua pollent, vel eadem ſoluendo facit, vt corpus obſeſſum reſtituat ſe ad priſtinam temperiem, quæ eſt ratio cur criptę, & aquæ puteales hyeme calidiores, æſtate frigidiores ſint Dixi tamẽ cõtrarietatem eſſe rationẽ agendi in ijs, quæ agunt ad extrà per qualitates corruptiuas, nimirum ad agendum à toto genere, neque contrarietas, neque diſſimilitudo, neque diſtinctio requiruntur, vt patet ex ijs, quæ immanenter operantur, & ſi verum ſit nihil poſſe ſe ipſum producere ſiue prima, ſiue ſecunda productione, quia nihil exiſtit antequam ſit nihil à ſe ipſo diſtinctum eſt.

DE CORPORIBVS ELEMENTARIBVS.

58 E*Lementum* iuxtà philoſophum 3. Cœli *tex.* 31. *eſt illud corporum, in quod alia corpora diuiduntur, quibus ineſt potentia vel actu, ipſum vero, eſt indiuiſibile in ſpecie diuerſa*. Numerus horum corporum deducitur cum eodem philoſopho ex numero combinationum vtilium primarum qualitatum, hoc eſt caloris, frigoris, humiditatis, ſiccitatis, quæ cum ſint tantum quatuor, neceſſe eſt quatuor tantum eſſe primas radices, ac proinde quatuor tantum eſſe corpora elementaria, quibus prædictæ combinationes debentur, prima combinatio eſt calidi, & ſicci, quæ igni conuenit, ſecunda calidi, & humidi, quæ cõuenit aeri, tertia frigidi, & humidi, quæ conuenit aquæ; vltima ſicci, & frigidi quæ terræ tribuitur; dari has qualitates, & conſequenter etiã corpora enumerata, quibus eędẽ iuxtà diſtributionem factam conueniunt eſt notum ad ſenſum, & quidem cum ſingulæ ſint naturaliter poſſibiles in tota ſua intentione naturali ſingulas ineſſe alicui corpori in eadem intenſione neceſſarium erit, proinde ignem dicimus in ſummo calidum ſiccum propè sũmum, aerem in ſummo humidum propè ſummum calidum, aquam frigidam in ſummo humidam propè ſummum, terram denique in ſummo ſiccam propè ſummum frigidam.

59 Si-

59 Sicut corpora elementaria ſunt primæ radices primarum qualitatum, ità primæ qualitates primæ radices ſunt cæterarum, quas ſecundas dicimus, & comitantur per ſe ſubſtantiam corruptibilem, definiuntur in ordine ad mixtionem, calor quidem per hoc quod *congreget ea, quæ ſunt eiuſdem generis* hoc eſt, quæ conueniunt in grauitate, vel leuitate, frigus per hoc, quod *congreget ea, quæ ſunt eiuſdē generis, & quæ non eiuſdē,* humiditas per hoc quod reddat corpus cui ineſt *facilè terminabile termino alieno, difficilè proprio,* è contra ſiccitas per hoc quod idem faciat *difficile terminabile termino alieno, facilè proprio.* Eſt autē mixtio *miſcibiliū alteratorū vnio* ex hac mixta reſultāt, in quibus elementa non ſunt actu, ſed potentia tantum, ipſa verò non ſolum miſcibilia ſunt, ſed etiam ad inuicem tranſmutabilia immediatè, eſt tamen operoſior tranſmutatio in diſſimbolis, quam iu ſimbolis iuxtà philoſophum.

60 Primæ qualitates omnes poſitiuæ ſunt, & actiuæ, ſimbolæ omnes ſunt eiuſdem rationis, cauſa efficiens proxima, & per ſe raritatis eſt calor, denſitatis frigus: rarum ex Philoſopho 4. *phyſ. tex.* 84. dicitur *quod ſub magnis dimenſionibus parum habet materiæ*, denſum, *quod ſub paruis multum.* Naturam fingunt mentis expertem, qui rarefactionem, & condenſationem explicant per vacuitates interceptas, & excluſas, qui verò per corpuſcula ſimiliter aut intruſa, aut excluſa à corporibus, quæ rareſiunt, & condenſantur mixtionem quandam, & depurationem corporum exponunt, rarefactionem, & condenſationem non exponunt; nec proptereà haberi poteſt rarefactio per hoc, quod ijſdem partibus materiæ nouæ partes quantitatis addantur, & condenſatio per hoc quod ex præhabitis demantur aliquæ, nempè difficilius intelliges eandem materiam modo magna, modo modica quantitate affectam, quam eandem quantitatem, modo magnis, modo paruis dimenſionibus ſubſtantem, imò primum nullatenus cum philoſopho, & ratione compones, alterum philoſopho, & rationi maximè conſentaneum reperies, ſi aduertas materiam, & quantitatem ex ſe indifferentes eſſe, vt modo maius, modo minus ſpatium occupent prout inſeruiunt diuerſis formis ſubſtantialibus, & prout eædem, hac vel illa accidentium complexione fuerint affectæ, quo ſtante intelliges actionem rarefactiuam, & condenſatiuam eſſe illam, per quam corpus idem mouetur modo ad maius, modo ad minus ſpatium occupandum intra terminos ſpatij adæquati eiuſdem corporis, terminum formalem eſſe vbicationes modo maiores, modo minores, determinatiuum proximum in genere efficientis talem complexionem accidentium, cauſam materialem ipſum corpus, quod rareſcit, aut condenſatur, denique cauſam finalem, aut excluſionem vacui, aut ſituationem corporis iuxtà modum ſuæ naturæ, aut aliud ſimile.

61 Sicut calefactiuum eſt quod virtutem habet calefaciendi, frigefactiuum qnod frigefaciendi ità *graue* inquit Philoſophus 1. Cęli *tex.* 17 *eſt quod ferri natum eſt ad medium, leue autem quod à medio*, quamuis autem grauitatem denſitati raritatem leuitati communiter adſcribāt Peripatetici adhuc hæ qualitates poſitiuæ ſunt tùm ab ijſdem, tum à primis qualitatibus, & earum temperie in rediſtinctę, conſiſtunt verò in quodam niſu, quo corpora quibus inſunt conantur ad medium, & medio moueri, nec non cum in ijſdem

ſunt

ſunt conantur perſiſtere, habet proinde beneficio huiuſmodi niſus, quod intendit natura, videlicet ordinationem corporum ſecundum locum, per quã magis grauia minus grauibus ſubſtant, leuiora minus leuibus ſupernatant; præter vtrumque hunc impetum quem innatum dicimus alium habent corpora, quem acquiſitum, & impreſſum nuncupàmus impreſſum inquam à proijciente, & acquiſitum per motum, in hunc refundenda eſt acceleratio motus, nimirum ſicut impetus motum, ità motus impetum producit, qui cum ſit qualitas permanens, quo magis mobile mouetur, eo magis impulſum reddit, & conſequentrr eo facit velocius moueri, mouetur autem ità, vt cum impingens in obicem reſilit non quieſcat in puncto reflexionis.

DE CORPORE ANIMATO.

62 PRæſtantiſſima ſpecies corporis naturalis, eſt corpus animatum, includit hoc in ſua conſtitutione materiam organizatam, & formam viuentem; cum audis materiam organizatam intellige concretum accidentale ex ipſa materia, & varia accidentium complexione, quæ non ingreditur conſtitutionem viuentis, ſed importatur ſolum in obliquo in definitione eiuſdem, nimirum ſicut corpus animatum, non à forma corporeitatis, ſed ab anima indiuiſibiliter habet gradum corporis, & gradum viuentis, ità organizationem non habet à formis ſubſtantialibus ſingularum partium puta carnis, oſſium &c. quas partiales dicunt, ſed à prædicta complexione accidentium, quæ ineſt partibus, quas anima informat, informat verò non omnes partes viuentis, ſed illas tantum, quæ ſunt de prima integritate eiuſdem, proinde anima eſt actus informans ſimul, & conſtituens corpus animatum, informans in quantum nomine corporis venit materia affecta organizatione prædicta, conſtituens in quantum cum eadem componit ſubſtantiam viuentem.

63 Eſt igitur anima *actus primus corporis phyſici organici potentia vitam habentis*, ſiue *id quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus primo*. Breuius eſt *forma ſubſtantialis viuens*, forma inquam, eſt enim omnis anima actus informans non aſſiſtens tantùm; quin rationalis corpus informat non ſolum qua vegetatiua, & ſenſitiua eſt, ſed qua rationalis formaliter. Nulla anima prius tampore producitur, quàm corpus informet, non tamen omnis perit cum ſeparatur à corpore, nempe non ſolum eſt fide diuina certum, ſed etiam ratione naturali demonſtratur animam rationalem eſſe natura ſua immortalem, & ſpiritualem. Ex conceptu abſtracto ſpiritualitatis non rectè deducitur indiuiſibilitas integralis eiuſdem, quæ tamen indiuiſibilis eſt integraliter, àn cæteræ animæ omnes indiuiſibiles ſint integraliter, vel omnes diuiſibiles incertum eſt, vnum prò certò habemus ex conceptu abſtracto entis corporei non rectè probari omnes eſſe diuiſibiles integraliter, hinc cum indiuiſibilitas integralis non excedat meritum entis corporei, & eadem maximè congruat modo operandi brutorum perfectorum probabilius arbitramur horum animas eſſe indiuiſibiles integraliter, cæteras diuiſibiles ponimus.

64 Omnis anima eſt principium vitæ. Si vita conſideretur in actu primò, & vt *quod*, aliud non eſt à ſubſtantia viuente, ſi in actu ſecundo eſt illa forma

per quam quod eſt proximè potens viuere conſtituitur actu, & formaliter viuens. Huius formæ quidditatem exponere maximè arduum eſt, quia ipſa forma maximè nota eſt; ſunt qui dicant vitam in actu ſecundo eſſe aſſeitatem quandam, àn quædam aſſeitas eſt vera aſſeitas, & ſpecies aſſeitatis? igitur omnis vita eſt vera Deitas, omne viuens eſt verus Deus. Hoc autem concedere nefas eſt; ſi non vera aſſeitas eſt, quæ igitur vera quidditas eſt vitæ in actu ſecundo? Reſpondent alij eſſe motum ab intrinſeco, ſed hi ſolum prædicatum genericum prò integra quidditate rei vſurpant, imò nec prædicatum genericum ad omnam vitam attingunt, nimirum, & ſi inditum nobis ſit à natura hoc eſſe viuere quod eſt agere, vnde ſtagnantes aquas mortuas per metaphorã dicimus, adhuc prò certo habemus non quoduis agere viuere eſſe, quin, & quod viuere aliquod agere ſit ex eo ſolum habemus, quia nobis conſtat quæcunque creata viuunt ex alieno viuere, vnde operari neceſſe habent vt viuant, igitur ſi aliquod viuens ſit, cuius vita ſit ſuum met eſſe, & cuius eſſe ſit ipſa vita, cur viuere non poterit quin operetur? huiuſmodi profectò Deus eſt qui de ſe ipſo dicit *ego ſum vita*, & ipſe quidem vitam perfectiſſimam viuit intelligendo, & amando ſe ipſum intellectione, & amore eſſentiali, hoc eſt intellectione, & amore penitus indiſtinctis ex parte obiecti à principio intelligente, & amante. Quod ſi excogitabile ſit aliquod operari eſſentialiter immanens quod non ex indigentia ſit, ſed ex pura abundantia, & hoc viuere erit; hoc autem in Deo Patre eſt generante Verbum, & in vtroque ſpirante ſubſtantialem Amorem; igitur duo ſunt ſumma genera vitæ in actu ſecundo, à quibus nequit abſtrai ratio vitę vniuoca; alterum dico vitam phyſicam hoc eſt *operationem eſſentialiter immanentem rei conſtitutæ in ſua naturali diſpoſitione*, alterum vitam intentionalem hoc eſt *puram perceptionem obiecti*, ex quo habes, & ſi omnis operatio eſſentialiter immanens ſit vita in actu ſecundo, non tamen omnem vitam in actu ſecundo eſſe operationem eſſentialiter immanentem; habes iterum purè vegetabilia viuere vitam phyſicam tantum, ſenſitiua, & intellectiua vtramque. operationem autem eſſentialiter immanen· cenſemus illam, quæ *eo ipſo quod eſt ab hoc agente in ſpecie ad hunc terminum in ſpecie debet tanquam in ſubiecto manere in principio à quo procedit, vel in aliquo conſtituente vnum compoſitum cum illo*.

65 Porrò viuentia creata alia ſunt vegetatiua tantum, alia vegetatiua, & ſenſitiua ſimul, alia vegetatiua, ſenſitiua, & loco motiua, alia denique quæ vegantur, ſentiunt, progrediuntur, & diſcurrunt, hæc diuiſio rectè procedit à triplici diffrentia, per quam animam diuidit philoſophus in vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem, quæ triplex differentia ità ſe habet vt quæ perfectior eſt imperfectiorem præcontineat, proindè nec ſimul, nec ſucceſſiuè ponendæ ſunt in viuente plures animæ; cuiuis autem ex tribus differentijs aſſignatis propriæ potentiæ conueniunt; vegetatiuę, generatiua, nutritiua, & augmentatiua, ſenſitiuæ viſiua, auditiua odoratiua guſtus, tactus, nec nõ ſenſus communis immaginatiua æſtimatiua memoria, appetitus ſenſitiuus quæ tamen non omnes ſingulis differentijs animæ ſenſitiuæ conueniunt, deniq; rationali intellectus, & voluntas. Ex his omnibus potentijs intellectus, & voluntas ſunt potentiæ inorganicæ, cœteræ organicæ ſunt, quia dependenter ab organo, &

per

per organum exercent ſuos actus, nulla tamen ex his ſecundum id, quod ſuperaddit organo, & cæteris comprincipijs requiſitis ad operationem diſtinguitur realiter ab ipſa anima; ab his igitur potentijs procedunt immediatè actus vitales, qui ſi immateriales ſint recipiutur in ſola anima, ſi materiales in toto compoſito, de ſingulis potentijs earum actibus, & obiectis non licuit per tempus determinare, vnum aſſerimus ad exercitium potentiarum intentionalium requiri concurſum obiecti per ſpecies, quas impreſſas dicunt, quæ ſunt exiſtentia quædam intentionalis eiuſdem qua exiſtit in potentia ad modum illius, eidemque vnitur, vt cum ipſa pariat ſpeciem expreſſam hoc eſt cognitionem, ſeù formalem, & vitalem immaginem ſui. Hæc autem ſpecies expreſſa aliam imprimit potentiæ, quæ radicata magis per repetionem pluriū actuum circa obiectum idem conſtituit habitum, quem acquiſitū dicunt.

66 Non tamen prætcrimus doctrinam de intellectu, & voluntate, quæ apprimè neceſſaria eſt, præſertim philoſophiæ rationali, & morali. Eſt igitur intellectus *potentia cognoſcitiua ſpiritualis*, cuius actus ſunt intellectiones, obiectum quidquid continetur ſub ratione intelligibilis ſeù veri ſupertranſcendentis, quæ eſt ratio formalis, ſub qua attingit quidquid atringit. Diuiditur in agentem, & poſſibilem, ſeu paſſibilem, quæ diuiſio extrinſeca tantum eſt ipſi diuiſo, vtpotè quæ ſolum ſit penes diuerſa munera eiuſdem potentiæ. Nempè intellectus idem in quantum depurando fantaſmata reddit eorum obiecta à ſe proxime intelligibilia dicitur agens, in quantum verò dependenter à ſpeciebus intelligibilibus à ſe, & obiectis productis eadem intelligit, dicitur poſſibilis, ſiue paſſibilis, concurrunt autem prædictæ ſpecies ad intellectiones non in genere cauſæ efficientis, ſed obiectiuæ tantum. Intellectio eſt formalis, & vitalis imago obiecti, forma abſoluta eſt, hoc eſt in re diſtincta ab actione intellectiua, hinc & ſi intellectio non quoduis ſubiectum in quo ponatur poſſit reddere intelligens, adhuc redderet formaliter intelligentem intellectum, in quo reciperetur, quamuis ab illo actiuè non eſſet, & licet naturaliter omnis forma intelligendi ſit actiuè ab eo intellectu cuius eſt forma intelligendi adhuc putamus probabilius poſſe ſine concurſu actiuo eiuſdem produci à ſolo Deo.

67 Intellectiones omnes cum philoſopho ad tria genera reuocamus apprehenſionem ſimplicem, iudicium, & diſcurſum. Simplex apprehenſio eſt *cognitio excitata immediatè per ſpeciem à phantaſmate productam*, in qua neque verum eſt, neque falſum, quia phantaſma, à quo immediatè eſt obiectum ſuum repræſentat ſimpliciter, hoc eſt neque affirmando, neque negando. Appræhenſioni ſuccedit iudicium, quo intellectus more iudicis obiecta percipit in alterutram partem decernendo, & ſiquidem affirmatiuum ſit dicitur *aſſenſus & compoſitio*, ſi negatiuum *diſſenſus, & diuiſio*. Dicitur aſſenſus, vel diſſenſus prout affirmatiuum eſt, vel negatiuum, quia aſſentire ſentire eſt, ſeù approbare rem eſſe, quod per affirmationem facimus, diſſentire autem eſt ſentire rem non eſſe, ſeu eius eſſe reprobare, quod eſt formaliſſime negare. Dicitur compoſitio, vel diuiſio, non quia non ſit ſimplex actus, ſed quia per affirmationem identificamus ea, quæ in noſtro intellectu ſolent præ-

cedere diſtincta per appræhenſiones, per negationem verò ſeiungimus ea, quæ ſaltem vt ſeiuncta non præceſſere in appræhenſionibus; denique ad iudicium ſuccedit diſcurſus hoc eſt *mentalis quidam curſus ex vno actu iudicatiuo in alterum ex illo deductum*, propterea ad diſcurſum formalem requiruntur ſaltem duo actus diſtincti, in quorum altero appareat explicitè obiectum præmiſſarum, & implicitè obiectum concluſionis, quæ eſt alter actus deductus ex primò.

68 Veritas, euidentia, certitudo perfectiones ſunt intellectus non obiecti, Intellectus radicaliter, formaliter actuum, quibus intelligit. Veritas eſt ſeparabilis ab euidentia, & certitudine, non è contra euidentia, aut certitudo ſeparabiles ſunt à veritate. Similiter certitudo ab euidentia, non tamen euidenria à certitudine ſeparabilis eſt. Veritas in conformitate actus cum ſuo obiecto conſiſtit, vt ſupra diximus: Certitudo formalis *in determinatione intrinſeca eiuſdem actus ad veritatem*. Determinatio hæc procedit ab eo, quòd actus eſſentialiter ſit ex principijs connexis cum exiſtentia obiecti vt repreſentatur per ipſum. Sunt autem huiuſmodi principia, tum motiuum, tùm conprincipia cooperantia intellectui in productione actus. Vel igitur connexio hæc intrinſeca eſt, & omninò indiſpenſabilis, & ſic actus eſt metaphyſicè certus, vel intrinſeca, ſed diſpenſabilis diuinitus, & ſic eſt ſolum phyſicè certus, vel extrinſeca, & talis vt ferè nunquam obiectum aliter ſe habeat, & ſic actus eſt ſolum moraliter certus.

69 Hinc oritur euidentia eiuſdem, ſi enim connexio prædicta penetretur ab actu, actus erit non ſolum certus, ſed etiam euidens, euidens inquam, vel metaphyſicè, vel phyſicè, vel moraliter prout connexio penetrata fuerit, vel metaphyſica, vel phyſica, vel moralis; quod ſi actus huiuſmodi principijs ſit omninò deſtitutus, incertus, & obſcurus erit, vt ſunt actus opinatiui, & fidei humanæ. Porrò euidentia cui indiſpenſabiliter adnexa eſt certitudo poteſt haberi tum ex ſola apprehenſione terminorum, tùm per cauſam, tum per effectum rei, de qua habetur cognitio certa, & euidens, proinde ſcientia actualis, eſt cognitio certa, & euidens obiecti ex principijs intrinſecis, quæ ſæpius repetita generat habitum ad ſimiles actus inclinantem, qui dicitur ſcientia habitualis. Tum hæc, tum actualis compoſſibilis eſt cum opinione actuali circa idem obiectum materiale.

70 Voluntas *eſt potentia appetitiua ſpiritualis* habet prò obiecto adæquato bonum, & malum, reale, vel apparens. Fertur in illud per actum, qui dicitur *proſequtio, ſeu amor*, in hoc per actum, qui dicitur *fuga*, ſeù *odium*. Nec malum vt malum formaliter amare, nec bonum, vt bonum formaliter poteſt odiſſe. Omnis autem actus odij ſupponit amorem, vel boni, cuius eſt priuatio malum, à quo eſt fuga, vel perſonæ cui illud malum eſt. Ad vtrumque prærequiritur cognitio non effectiuè, ſed obiectiuè tantum concurrens. Et fide diuina certum eſt, & ratione naturali demonſtratur voluntatem eſſe potentiam liberam libertate indifferentiæ ſeu à neceſſitate, quæ formaliter. & conſtitutiuè conſiſtit in hoc quod ſit talis potentia, quæ *poſitis omnibus prærequiſitis ad operandum poteſt ſe determinare tùm ad operandum,*

tum

tum ad non operandum. Hæc libertas iuxtà angelicum, Alia eſt exercitij, ſiue contradictionis, alia ſpecificationis, ſiue contrarietatis, illa eſt poteſtas, ad actum, & negationem actus; hæc eſt poteſtas ad actus diuerſæ ſpeciei, & aliqualiter oppoſitos, hæc primam includit, non è conuerſo prima includit hanc. Ad vtramque requiritur indiſpanſabiliter, vt nihil præſupponatur ex parte actus primi proximi, quod eſſentialiter inferat operationem potius, quàm non operationem, aut hanc potius operationem, quam aliam. Denique ex eo quod inſit voluntati libertas quoad exercitium probatur efficaciter eamdem poſſe liberè omittere purè.

DE ENTE IMMATERIALI NEGATIVE.

71 NOn eſt dubium quin anima rationalis ſit in genere entis immaterialis negatiuè, quam demonſtratum eſt eſſe natura ſua immortalem, ac proindè in ſuo eſſe omuinò independentem à corpore. Itaque, & ſi petat primò eſſe in corpore, quia eſt vera forma illius, petit tamen non ſemper eſſe in corpore, quia in eſſendo eſt independens ab illo; petit primò eſſe in corpore, quia, & ſi operationes ipſius propriæ, qua rationalis eſt inorganicæ ſint, tamen mediatè pendent ab organo in quantum pendent à ſpeciebus acquiſitis per ſenſus, vnde philoſophus dixit *intelligentem oportere phantaſmata ſpeculari*, ſed propter hoc ipſum petit non ſemper eſſe in corpore, vbi enim aliquando fuit in illo, & per ſenſationes acquiſiuit ſpecies, quibus intelligat, petit iam non per conuerſionem ad phantaſmata, ſed in ſe ipſis obiecta intelligere, & intellecta proſequi, ex quo indiuiſibiliter concluditur, & hominem eſſe natura ſua mortalem, cuius potiſſima pars petit ex natura ſua exiſtere ſeparata ab alia, & animam rationalem eſſe natura ſua immortalem, & immaterialem, quæ nulla concretione materiæ infecta petit ſemper exiſteſtere, & petit non ſemper vniri materiæ; propterea anima ità habet veram rationem partis, vt habeat etiam aliquo modo rationem totius, imò potior eſt in ipſa ratio totius, quam ratio partis ſiquidem rationem partis petit exercere ſolum per aliquod tempus, exiſtere autem ad modum totius petit per totam æternitatem. propterea probabilius eſt reſurrectionem corporum, quam fides diuina docet eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, propterea acutè dictum eſt à Dioniſio hominem orizontem eſſe inter ſecantem vtrumque Mundum ſpiritualem, & corporeum; cuius nempè pars altera corporea eſt, altera immaterialis negatiuè. quod verò philoſophus in æticis dicit intellectum eſſe totum hominem intelligendum eſt de homine qua ſpiritualis eſt, cuius totum eſſe, & quidē præſtantius eſt anima, quàm prò homine ſumit philoſophus ibidem: neque hinc ſequitur totum ordinari ad partem, nempe hominem ad animam, ſi quidem non homo ad animam, ſed operationes minus perfectæ animæ ad alias eiuſdem operationes perfectiores ſequitur ordinari, ſiue ſtatum animæ in corpore ordinari ad ſtatum eiuſdem extrà corpus; quin, & ſi verum eſſet hominem ordinari ad animam, adhuc nullum ſequeretur inconueniens, ſiquidem maximè congruum eſt totum imperfectius ordinari ad totum perfectius, ſicut mundus ſenſibilis eſt ordinatus ad mundum ſpiritualem

lem dictum eſt autem, animam ſeparatam à corpore inducere quodammodo rationem totius. Proinde vterque ſtatus eſt animæ connaturalis, in vtroque habet finem ſuum vltimum, in corpore finis animæ eſt finis hominis naturalis, extrà corpus finis animæ non eſt finis hominis, niſi in quantum finis hominis ſubordinatus eſt fini vltimo ipſius animæ.

72 Præter animam rationalem dari intelligentias ſeparatas hoc eſt ſubſtantias ſpirituales completas, & fide diuina certum eſt, & ratione naturali demonſtratur, his attributum eſſe motum cælorum, & plura munera in gubernatione vniuerſi ex philoſopho, & ſacris paginis demonſtrant theologi, quibus inueſtiganda permittimus, quæ ad naturam proprietates, & operationes earum dignoſcendas pertinent.

73 In ſummo vertice immaterialitasis eſt naturæ opifex Deus Optimus Maximus, quem eſſe vnicum demonſtrat Philoſophus 12. Metaph. ex eo quod ſit actus purus hoc eſt omninò impermixtus materiæ, ſiuè propriè, ſiue metaphoricè vſurpatæ, ſicut ex eodem capite demonſtrat D. Thomas eſſe intelligentem, ac proindè volentem; demonſtrat etiam ex alio capitè ibidem Philoſophus Deum eſſe vnicum, adeoque neceſſarium in exiſtendo, quod eſt gubernatio vniuerſi. *Entia* inquit *volunt bene gubernari*; *ergo vnus eſt Princeps* eſt dicere vniuerſum hoc habet diſpoſitionem optimam, ea eſt in qua omnia ordinantur ad vnum ſupremum Principem, & moderatorem, ergo Princeps, & moderator Vniuerſi eſt vnus tantum; habet igitur Deus perfectiſſimam prouidentiam vniuerſorum, quæ condidit. Hanc prouidentiam in ordine purè naturali, de quo tantum loquimur cenſemus cum Angelico Doctore in 6. Metaph. lect. 3. conſiſtere in eo quod Deus concurrat immediatè ad omnes, & ſingulos effectus cauſarum ſecundarum, non quomodocunque, ſed iuxtà naturam, & exigentiam, quam ſingulis impertiuit; itaque cum ex cauſis ſecundis aliàs fecerit neceſſarias, alias liberas in operando omnipotentiam ſuam, qua ſingulis cooperatur quodammodo diffundit in omnes iuxtà naturam ſingularum, *ſecundum enim* (verba Angelici ſunt) *quod vnicuique dare voluit contingentiam, vel neceſſitatē præparauit ei cauſas medias, ex quibus de neceſſitate ſequatur vel contingenter*; hinc ingenioſè poeta philoſophus inquit:

Spiritus intus alit totoſque infuſa per artus.
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet,

Quaſi dicat ſpiritus hoc eſt omnipotentia conditoris mente prædicta perfectiſſima, ad modum luminis ſolaris applicata ſingulis cauſis ſecundis cooperatur omnibus iuxtà naturam ſingularum, non aliter, ac lumen ſolare applicatum oculo veſpertilionis concurrit cum illo ad viſionem proportionatam noctuæ applicatum oculo aquilæ viſionem producit cum illo congruentem aquilæ. Non igitur concurrit Deus cum cauſis ſecundis concurſu phyſicè prædeterminante, ſed nec concurrit concurſu indeterminato, verum cum cauſis liberis concurrit in actu primò per applicationem ſuæ omnipotentiæ indifferenter, ſiue ad vtrumlibet, quia cauſæ liberæ ex natura ſua potentes ſunt ad vtrumlibet, cum cauſis neceſſarijs concurrit in actu primò per applicationem eiuſdem determinatè ſiue ad vnum tantum, quia hæ ex natura ſua ad vnum tantum potentes ſunt, in actu ſecundo cum vtriſque

concurrit per eandem actionem, qua ipſe, & creatura indiuiſibiliter operantur.

74 Itaque volitio qua Deus complet actum primum proximum cauſæ liberę denominat collatum concurſum ad vtrumlibet, ac propterea relinquit in poteſtate ipſius determinationem ad alteram partem, volitio verò qua complet actum primum proximum cauſæ neceſſariæ denominat collatum concurſum ad vnum tantum, vnde non eſt in poteſtate ipſius ſe determinare ad agẽdum, vel non agendum, ad agendum hoc, vel illud, ſiquidem ipſa ex natura ſua poteſt facere vnũ tantum, & non poteſt non illud facere cũ ad illud completa eſt. Sic optimè coheret cum infallibilitate diuinæ prouidentiæ libertas arbitrij creati, nempè quilibet effectus infallibiliter ſequitur iuxtà diſpoſitionem eiuſdem, & nihilominus ex effectibus plnres liberi ſunt, quia plures sũt à cauſis proximis completis ad vtrumlibet; *effectus enim*(ſunt verba eiuſdem Angelici) *in ſuis naturis ſimilantur cauſis proximis non autem remotis, ad quarum conditionem pertingere non poſſunt*; *ſic ergo patet, quod cum de diuina prouidentia loquimur non eſt dicendum ſolum hoc eſt prouiſum à Deo vt ſit, ſed hoc eſt prouiſum à Deo vt contingenter ſit vel neceſſario ſit*. Conſtat autem non poſſe eſſe prouiſum infallibiliter à Deo, vt aliquid contingenter ſeù liberè fit, quin prouiſum fit à præcognoſcente, quid potius facturum eſſet, quam non facturum id quod eſt cauſa proxima eius, quod contingenter ſeu liberè fit in quauis hypoteſi conſtitutum, vt ſupponimus.

75 Sapientis eſt ordinare inquit Philoſophus, igitur cum Deus ſapientiſſimus ſit prouidentia eius in hoc ſita eſt, vt omnia ordinet ad ſe, qui ſicut eſt ſibi ſuus finis vltimus, & conſumata beatitudo, ità eſt finis vltimus, & conſumata beatitudo creaturæ rationalis, ad quam cætera creata immediatè diriguntur, & hinc exurgit tertia philoſophia hoc eſt moralis, quæ conſiderat operationes humanas ſecundum quod ordinatæ ſunt ad finem vltimum, & conſiderando in eundem dirigit, vt enim aduertit D. Thomas lectione prima in primnm Ethicorum *eſt quidam ordo, quem ratio non facit, ſed conſiderat ſolum, vt eſt ordo rerum naturalium, & eſt alius quem ratio conſiderando facit in proprio actu, quo ſuos conceptus, & eorum ſigna ad inuicem ordinat, ac denique tertius, quem conſiderando facit in actibus voluntatis*; ab hoc triplici ordine naſcitur tripartita philoſophia rationalis, quæ conſiderando dirigit intellectum in ſuis operationibus, realis, cuius eſt conſiderare ordinem rerum, quem ratio humana non facit, ſed aſſequirur & hæc phyſicam, & metaphyſicam complectitur, moralis, cuius eſt conſiderare, & conſiderando dirigere operationes humanas in finem vltimum.

99 92211